



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1494 usque ad annum 1507

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118448

Liber CXX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67025](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67025)



HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ LIBER CXX.

ALEXANDER VI. PAPA.
MAXIMILIANUS I. OCCIDENT.
IMPERATOR.

§. I.

*Cardinales ab Alexandro Papa
creati.*

Dum interim Italia tot undique tumultibus agitabatur, Alexander VI. ultima mensis Maji die sacro Collegio novem Prælatos adscripsit, ut defunctorum vices suppleret. Ex hisce novem, omnino quinque Hispanos ex Valentia Regno creabat, quibus tamen forte

Sæcul. XVI
A. C. 1503.

Onuph. Pan-
in Alex. VI.

Sæcul. XVI. forte magis generis nobilitas, ejusdem-
 que cum Papa patriæ prærogativa, quam
 A. C. 1503. meritorum excellentia suffragabatur. Ho-
 rum Cardinalium nomina erant: I. Jo-
 annes Castellar natione Hispanus, Tra-
 nensis Archiepiscopus, Presbyter Cardi-
 nalis tit. Mariæ trans Tiberim, postea
 Montis Regalis Archipræsul; II. Fran-
 ciscus Remolinus Hispanus, Surrenti
 Archiepiscopus, Presbyter Cardinalis
 tit. SS. Joannis & Pauli, postea Panor-
 mitanus Archiepiscopus; III. Franciscus
 Soderinus patria Florentinus, Episco-
 pus Volaterranus, Presbyter Cardina-
 lis tit. S. Susannæ, postea Santonensis,
 & Ostiensis Episcopus, demum S. Col-
 legii Decanus; IV. Melchior Copis a
 Meckau natione Germanus, Episcopus
 Brixienfis, Presbyter Cardinalis tit. S.
 Stephani in monte Coelio; V. Nicolaus
 de Flisco Genuensis, Episcopus Foro-
 Julienfis Presbyter Cardinalis tit. S. Ni-
 colai *inter imagines*, postea tit. S. duodecim
 Apostolorum, Ebredunensis Archiepi-
 scopus, atque Episcopus Ostiensis; VI.
 Franciscus de Sparta Hispanus Episco-
 pus Legionensis Presbyter Cardinalis
 tit. SS. Sergii & Bacchi; VII. Adria-
 nus Castillensis Italus, primum Erfor-
 diensis, postea Bathoniensis in Anglia
 Episcopus, Presbyter Cardinalis tit. S.
 Chrysoconi. VIII. Jacobus de Casanova
 Hispanus

Hispanus, Presbyter Cardinalis tit. S. Sæcul. XVI.
 Stephani in Monte Coelio; IX. Francis A.C. 1503.
 scus de Loris itidem Hispanus, Elvensis
 Episcopus Cardinalis Diaconus tit. S.
 Mariæ novæ. His quoque decimus ac-
 censetur, Joannes Saxoniae Ducis Ora-
 tor tit. S. Crucis in Jerusalem.

S. H.

*Pisani in obsequium Valentini Ducis
 redire parati.*

Alexander, quamvis mutata Neapoli- Gaitc. lib. 5.
 Raynald. ad
 ann. 1503.
 num. 10.
 tani Regni facies haud magnam illi
 sollicitudinem afferre videretur, nihilo-
 minus rebus suis sedulo prospicere mi-
 nime neglexit: quapropter nihil propius
 erat, quam ut non modo ipse, sed &
 Valentini Dux, sese Hispanorum parti-
 bus addicerent. Nec diu illis opportu-
 na ad id defuit occasio; quippe Floren-
 tinorum Respublica pertinacem Pisano-
 rum rebellionem ultra ferendo impar,
 exercitum conscripsit, illiusque Imperi-
 um Jacobo de Silli Nobili Normanno,
 ac olim Cadomi Prætori detulit. Hic
 Pisarum urbem, si eandem diutius cin-
 ctam teneret, certo deditione superan-
 dam existimabat, atque ideo Pisanos,
 undique inclusos ad tam funestas redegit
 angustias, ut hi missis ad Valentini Du-
 cem Oratoribus, sese ejus dominationi,
Hist. Eccles. Tom. XXXI. F f po-

Secul. XVI. potius quam Florentinorum jugo subji-
A. C. 1503. cere decernerent. Papa, ejusque fi-
 lius accepto libenter hoc nuncio quan-
 tocius Curtium, qui utriusque negotia
 procurabat, ad Consalvum ablegant,
 rogantque, ut copiis suis Pontificio ag-
 mini junctis, Florentinos a Pisana ur-
 be propelleret. Ast Consalvus, qui
 tum Cajetam obsederat, Papæ votis
 annuere recusabat, Curtium vero Ro-
 mam reducem Moterius Comes com-
 prehendit, ac literas, quas secum de-
 ferebat, ablatas in Franciam remisit,
 ubi occultæ earum, quibus scriptæ
 erant, notæ explicabantur. Hæc Pon-
 tificis, Ducisque Valentini perfidia
 tantopere Regis animum commovit,
 ut eodem temporis puncto copiis suis
 Romam petere statuerit; Cardinalis
 vero de Ambasia, cum Papatus aucu-
 pandi spe obcæcatus esset, eundem vero
 aliter, ac Valentini Ducis præsidio ob-
 tinere desperaret, Regis iram placavit,
 opportune in rem suam usus prospero
 Salutarum Marchionis successu, qui
 paulo ante commeatus copiam in Ca-
 jetensem urbem feliciter invexit.

§. III.

Sæcul. XVI.

A. C. 1503.

*Papa denuo in Regis gratiam redire
sollicitus.*

Alexander, cum sua consilia intempestive prodita intelligeret, probatæ fidei Virum ad Galliarum Regem ablegat, qui eidem promitteret, se in posterum neutri parti, nec Hispanæ, nec Gallicæ ullo pacto adhæsurum. Rex Pontificis Oratorem audire dedignatur, postquam vero Cardinalis de Ambasia, qui apud Regem gratia, atque auctoritate plurimum valebat, eidem exposuerat, quod, si Pontificis amicitiam continuo foveret, sperandum foret, Valentini Ducem copias suas Mantuani Marchionis exercitui juncturum, earumque ope Cajetam, quam Gallis eripere Consalvus conaretur, facile propugnandam esse. Rex hac spe deceptus, sedato indignationis impetu, Pampadurum decernit, qui de concordie legibus cum Pontifice ageret.

§. IV.

*Papa Ursinos sibi tradi, a Rege
postulat.*

Verum Alexander nimia Regis facilitate, aut ut verius dicam, imbecillitate abusus, inter pacis conditiones postula-

Ff 2

stula-

Sæcul. XVI. A.C. 1503. stulabat, ut Ursini, qui Gallis inviolabili fide addicti credebantur, eidem traderentur. Petitum hoc primo abhorruit Rex, quem tamen Cardinalis de Ambasia, mox ad Pontificis vota inclinabat, exponens, quod Rex nunquam Neapolis Regnum recuperaturus esset, nisi Papæ precibus cederet. Ludovicus Cardinalis sermone devictus consentit, ut omnes Ursinorum ditiones Pontificis imperio cederentur, eidemque Jordani Ursini Filius, a quo tanquam unico furculo tota Ursinæ posteritatis spes dependebat, committeretur.

§. V.

Petilianenses Ursinum Pontifici tradere renuentes.

Attamen, cum juvenis Ursinæ familiæ Princeps Petiliani educatus, haud obscura strenui Belliducis specimina jam jam edidisset, tantam sibi civium famam, amoremque conciliabat, ut illi omnes seditionem concitarent, simul ac Papæ Deputati urbem ingressi, adolescentem Ursinum sibi consignari, a Civibus postulabant. Ergo spretis Papæ mandatis, Principem e manibus suis sibi eripi, omnibus viribus obluctantur, ejusque securitati validis præsiidiis prospiciunt. Hac repulsa Jordanus Ursinus illius

illius Pater, probatæ integritatis Vir, Sæcul. XVI.
A C 1503.
Pontificis indignationem sibi accersivit,
quam nullo pacto sedari posse existimabat,
nisi loco Filii sui semetipsum Papæ arbitrio
committeret; verum obsequioso Patris
studio minime contentus erat Alexan-
der, nec ejus Filius Valentini Dux: unde
Pontificis exercitus eodem temporis
articulo Petilianum expugnaturus pro-
cessisset, nisi divinum Numen inopina
Pontificis morte expeditionis hujus suc-
cessum intercepisset.

§. VI.

Funesta Alexandri Papæ mors.

Hujus Pontificis mors tam insolito fa- Raphael Vo-
torum concursu celebris, ac per to- later. lib. 23.
tum orbem tunc variis adeo rumoribus Antrop.
divulgata fuit, ut omnia, quæcunque ab Onuphr.
Historicis memorata inveniuntur, huc re- Panvin. in
censere, operæ pretium ducamus. Igi- Alex. VI.
tur complurium Scriptorum, etiam Ita- Marian. lib.
lorum, opinio erat, quod Valentini Dux 28. n. 14.
pecunias, quibus ad augendum exerci- & seq.
tum suum indigebat, a summo Pontifice Guicc. l. 5.
petierit, cum autem ærarium Alexan- Surius ap-
dri penitus exhaustum esset, nec ullus pend. ad
inveniretur, qui pecunias eidem mutuas Naucley.
daret, hinc Valentini Dux, cujus præ- p. 538.
cipitem animum effrænata cupiditas ad Daniel. hist.
quævis scelera impulerat, firmiter statuit, Franc. tom. 5
p. 220.
Comm. to. 5.
edit. 1723.
p. 488.

F f 3

Adria-

Sæcul. XVI. A.C. 1503 Adrianum Cornetanum, aliosque duos,
 vel omnino tres Cardinales e medio tolle-
 re, cum illi ceteris opulentiores crede-
 rentur, tamque parce viverent, ut fruga-
 litas vix non in avaritiæ vitium degene-
 raret; horum igitur opes invadere, Duci
 expedire videbatur, cum eo tempore
 summi Pontifices Cardinalium hæredita-
 tes adirent, & licet forte ejusmodi con-
 suetudo haud suffragata fuisset, nihilomi-
 nus Cornetanus tam ignobili genere na-
 tus erat, ut ejusdem propinqui de mor-
 tui Cardinalis facultatibus Pontifici litem
 intendere, minime præsumpsissent. Pla-
 cuit ergo Alexandro Ducis Valentini
 consilium; non enim animi magis reli-
 giosi erat, quam ejus filius, qui Corneta-
 num unacum suis sociis veneno inter-
 ficere animo constituit, cum vero haud
 ignoraret, quod illi Ducis fidem merito
 suspectam haberent, si ipse eos ad eccle-
 siam suam invitaret, Papæ Patri suo au-
 ctor fuit, ut illos in ejusdem Cardina-
 lis vinea a Vaticano parum distita lautius
 haberet: itaque Papa se hujus sceleris
 socium Filio suo jungit, ad id haud alia
 devictus ratione, quam quæ ipsum jam
 pridem ad tot alia crimina impune per-
 petranda impulerat: hæc autem dunta-
 xat erat immoderata honorum cupiditas,
 ac cæcum complacendi studium, quo
 scele-

sceleratissimis quibusvis postulata negare prohibebatur.

Sæcul. XVI.
A.C. 1503.

Ergo in præfata Cardinalis vinea sumptuosa præparatur coena, ubi ciborum affluentia, & lautitia ex æquo certabant; ad hanc etiam vocantur Cardinales, quorum vitæ struebantur insidiæ. Præmittitur quidam Alexandri famulus in quibusdam lagenulis vinum toxico mixtum deferens, facto interdicto, ne sine Pontificis jussu ulli hoc vinum infunderet. Famulus id sibi prohiberi ratus, eo quod vinum esset ceteris magis generosum, hinc illud summo Pontifici ob æstivos calores summe sitienti, potumque ante coenam petenti propinavit. Juxta nonnullorum Scriptorum testimonium nonnisi unica ampulla veneno infecta inter ceteras generosissimi Italici vini lagenas fuit allata, Pocillatoris tamen errore vinum venenatum fuit infusum, quamvis ipse ea de re admonitus esset, nihilque eorum prætermisum, quibus ejusmodi fatum præcaveri potuisset: cum autem tunc temporis maxima caloris vis esset, summus Pontifex, Duxque, ut sitim restinguerent, vix ad vineam delati potum sibi præberi postularunt, ac Pocillator, licet summa sollicitudine edoctus fuisset, incaute Alexandro, ac Valentino Duci vinum toxico mixtum infudit. Referunt alii, illud ab alio quodam

Sæcul. XVI dam famulo sceleris ignaro; fuisse pro-
A. C. 1503. pinatum, cum interea Pocillator veneni
 admixti conscius, ex negotio aliorum
 abiisset. Ut ut hæc sint, vix ambo po-
 tum fumebant, jam veneni vis sese exe-
 rebat, & Pontifex, qui vinum modica
 aqua diluere solebat, quantocius acerrimis
 alvi doloribus corripiebatur, iis brevi
 in violentas convulsiones degenerantibus:
 Dux vero, qui nonnisi frigidam rubro
 vino tinctam bibebat, iisdem quidem sym-
 ptomatibus afficiebatur, quæ tamen is æ-
 tatis robore superabat. Nihilominus u-
 terque morbi causam haud ægre mente
 sua assequatur, unde malo remedia
 maxime congrua quærebantur, quorum
 tamen nullo summus Pontifex morbi vio-
 lentiam depellere poterat; quippe pau-
 cis post sumptum venenum horis ex ve-
 hementi nervorum contractione animam
 egit: Dux vero minori valetudinis dis-
 pendio venenum expulit, adhibitis om-
 nibus, quotquot ars medica suppeditat,
 medicamentis; inclusus enim cujusdam
 mulæ adhuc spirantis utero mortem e-
 vasit, quamvis ob potentissimi veneni
 violentiam solidos decem menses lecto
 affixus, toto infirmitatis tempore acutis-
 simis doloribus vexaretur, ac non modo
 capilli, atque ungues eidem deciderent,
 sed ex omnibus corporis partibus cutis
 deflueret.

Cete-

Ceterum, quæ mox de Alexandri VI. Sæcul. XVI. A.C. 1503
 obitu relata fuere, non omnino conso-
 nant relationi, quam de eodem argumen-
 to posteritati reliquit Petrus Martyr, ab Petrus Mar-
 tyr. Angler.
 epist. 264. ad
 Episc. Gra-
 natensem.
 ignobili oppido Angleria, ubi haud pro-
 cul Mediolano natus erat, Anglerius di-
 ctus, quem Ferdinandus Rex Catholicus
 a consiliis habebat, juxta ejus-
 dem enim relationem cuidam epi-
 stolæ insertam solus Valentini Dux
 quatuor illos Cardinales veneno e-
 necandi consilium ceperat, summus
 vero Pontifex nefarii hujus facinoris
 minime conscius fuit; is tamen si-
 mulac hortum, ubi coena parabatur, ac-
 cesserat, ex negotio Pincernam, cui soli
 medicata lagena cognita erat, discedere
 jussit, Valentinus quidem petiit, ut alteri
 cuidam famulo Papa rem imperaret, id-
 que etiam ejus precibus dabatur: ast ne-
 quidem quarta unius horæ parte evolu-
 ta, aliud occurrebat negotium, cui exe-
 quendo Pontifex Pincernam ceteris o-
 mnibus magis idoneum judicabat, proin-
 illum eo ablegavit: Dux vero, ne in su-
 spicionem caderet, aut secretum aperire
 cogeretur, obsistere minime ausus, dun-
 taxat Pincernæ suggestit, ut eum, cui
 triclinii curam demandaturus esset, rem-
 edoceret, idque a Pincerna omni, qua
 par erat, cautela præstitum. Verum
 ille, qui Pincernæ fuit subrogatus, aut

Sæc. XVI. ex incuria, aut memoriæ lapsu moniti
A. C. 1503. dati oblitus, aut forte inter amphoras vi-
 ni salubris, ac veneno infecti discernere
 non valens Pontifici, Ducique potum pe-
 tentibus de venenato ad Cardinalium
 necem destinato porrexit, quo hausto A-
 lexander paucis post horas decima septi-
 ma Mensis Augusti die, quæ in Sabbatum
 inciderat, e vivis eripiebatur, Dux vero,
 cum ætatis, ac virium vigore magis va-
 lidus esset, remedio mox relato vitam
 servabat.

*Raynald. ad
 ann. 1503.
 n. II.*

*Ex MS.
 Diar. arch.
 Vatic. sign.
 lit. I.*

Denique Odoricus Raynaldus Baro-
 nii Continuator ex compluribus, ut in-
 quit, *fide dignissimis manuscriptis Diariis*
 testatum relinquit, quod summi hujus
 Pontificis memoria ob gravem invidiam,
 quam in se concitaverat, ejusmodi calu-
 mniis de illius obitu sparsis infamata fue-
 rit: Hic ergo extremi morbi fatum se-
 quentibus describit: *Sabbato die deci-
 ma (*) Augusti Anno Domini millesimo
 quingentesimo tertio mane Alexander Papa
 sensit se male habere, post horam vespero-
 rum venit febris, quæ mansit continua, die
 decima quinta ejusdem Mensis extractæ fue-
 runt ei tredecim uncie sanguinis, & super-
 venit febris tertiana: altera die accepit me-
 dicinam, die decima octava Augusti con-
 fessus est Domino Petro Episcopo Reaten-*

(*) In Odorico legitur duodecima.

si (*) qui deinde coram eo Missam dixit, Sæcul. XVI.
A.C. 1503.
 & post Communionem suam dedit Papæ in
 lecto Sacramentum Eucharistiæ, quod i-
 pse summo pietatis sensu, ut majorem
 submissionem testaretur, quamvis viri-
 bus fractus, in sede sua erectus recepit.
 Interfuerunt quinque Cardinales, videlicet
 Cusentinus, Montis regalis, Arborensis,
 Casanova, & Constantinopolitanus, quibus
 finita Missa Pontifex dixit, se pejus sentire.
 Hora vesperorum data sibi extrema unctio-
 ne per Episcopum Reatensem expiravit,
 præsentibus Episcopo, Datario, & non-
 nullis famulis, qui tum in cubiculo ade-
 rant. Hæc relatio, utpote ex diario
 Borgianæ familiæ decerpta, merito su-
 specta habetur, nec tot aliis absque par-
 tium studio conscriptis præhabenda (**).

§. VII.

(*) Ibidem habetur Culmensi.

(**) Hac testatus est Burchardus testis ocu-
 latus, proin omni exceptione major, qui in suis
 notis Diariis, quas vivente Alexandro ac Va-
 lentino Duce conscripsit, non raro utrumque
 suggillavit, pluris igitur habendus, quam So-
 vianus Pontanus, Sanazarus, Guicciardinus,
 pluresque alii iniqui calumniarum Scriptores,
 maxime ubi ipsa tam varia fama merito facti
 veritatem suspectam reddit, cum alii testentur,
 Alexandro a pincerna pecuniis corrupto, alii

INCEP-

Sæcul. XVI.
A.C. 1503.

§. VII.

Pontificis ærarium a Valentino Duce
sublatum.

Raynald. hoc
ann. num. 12.
Volaterran.
ut supra.

Alexandro fati functo, Valentini Dux gravissime decumbens, Michaelitio negotium dedit, ut omnes Pontificii clavis portas sedulo clauderet; idem ipse Cardinalem Casanovam, quem forte obvium habuit, insequeretur comminatus, eum e fenestra dejiciendum, aut laqueo suffocandum, nisi quantocius Pontificii thesauri claves traderet, quas ille minis territus nulla mora Michaelitii manibus consignavit: hic vero inde scrinia scrutatur, atque omne aurum, argentumque, quod defunctus Pontifex corraferat, confestim auferri jubet. Ferunt, centena Ducatorum millia, ab eo fuisse inventa; id tamen a veritate deflectere

INCERTO AUCTORE, alii conscio duntaxat Valentino Duce venenum fuisse porrectum scribant, denique alii totam hanc relationem ad fabulas & satyras rejiciant, alii Papam ex morbo naturali decessisse referant. Vide Petrum Bembum l. 6 hist. Venet. Stephanum Forcatulum lib. 4. de Philosoph. Ægidium Cardinalem, Victorellum in addit. ad Ciaconium, Bzovium, & alios.

flectere videtur, cum paulo ante Pontificis ærarium, ubi Valentini Dux pecunias postulabat, penitus exhaustum memoraverimus: Certum porro est, Michaelitium, quicquid reperire poterat, abstulisse, ac thesauro in securitatis locum deportato omnes portas aperuisse, mortemque Alexandri publicasse, ejus domesticis mox Pontificis vestiariam deprædantibus, quod tamen minus pretiosum erat.

Sæcul. XVI.
A. C. 1503.

§. VIII.

Alexandri VI. exequiæ.

Post hæc defuncti Pontificis cadaver ad Vaticanam Basilicam defertur, Cardinales vero, ut funebri pompæ assisterent, ad Ecclesiam S. Mariæ supra Minervam venire rogantur. Monentur quoque omnes Clerici ac Religiosi, ut Palatium accederent, funus ad Ecclesiam S. Petri comitaturi, ad quam Pontificis corpus a quatuor pauperibus deferretur, trecentis aliis, qui cereas faces albi coloris gestabant, præcedentibus. Instructa funebri hac pompa, contentio exorta est inter milites, ad agendas in Palatio excubias relictos, necnon inter alios pro deferendis facibus selectos; cum enim hi ab illis per vim facibus spoliarentur, tam vehementer utrinque

Sæcul. XVI. A.C. 1503. trinque contendendum exarsere studia,
ut cunctis auffugientibus defuncti Pontificis cadaver solum relinqueretur, atque ipsimet Ministri Papales illud ad Altare majus deferre cogentur.

§. IX.

Papa fati fundto mutata Italiae facies.

Raynald. ib. Post Pontificis obitum ingens erat rerum vicissitudo; Sabellius enim Curiae Romanæ Præfectus cunctos, quos Papa defunctus carceribus mancipari iussit, libertati restituit; redeunt ergo ad suas ædes Ursini, qui Hispanos mensarios exspoliari jubent; septem quoque alii Principes ad suas quisque ditiones revertuntur; Vitellii Tifernum, Bagliones Perusium, Appiani Plumbinum, Mont-Felitrenses Urbinatem Ducatum, Vanellii Camerinum, Sfortiæ Pisaurum, ac denique Roverii Senogalliam repetunt: Incaffum tamen Romandiolæ Provincia ad pristini sui Principis obsequium, aut saltem Sedis Apostolicæ dominium redire sollicitabatur, civibus alterutri sese subjicere recusantibus, atque in Valentini Ducis fide non sine omnium admiratione persistentibus.

Cum

Sæcul. XVI.
A.C. 1503.

Cum vero Urfini Romam reduces, adversus Columnenses, qui æque urbem repetebant, arma sumerent, res ad maximum belli civilis incendium spectare videbatur; unde Conclave dilatum est, quod tamen in ædibus Minervæ parabatur, ubi sexdecim Cardinales congregati Ragusinum Episcopum in Romæ Governatorem nominabant, adjectis in corporis sui custodiam ducentis satellitibus: Præterea Salernitanum Archiepiscopum S. R. Ecclesiæ Thesaurarium eligunt, atque rupto Alexandri VI. sigillo Piscatoris anulum Cardinali Casænovo Datario tradunt. Postea suppellectilis a defuncto Papa relictæ commentarium conscribunt, ubi, quamvis Michaelitius, quæcunque pretiosiora censebat, abstulisset, nihilominus tamen arcula viridi serico contexta reperiebatur, quæ nonnullas continebat gemmas plusquam viginti millium aureorum pretium æquantes.

§. X.

Gallorum exercitus Romæ proximus.

Ingens, nec vanus Cardinales agitabat timor, ne Franciæ, ac Hispaniæ exercitus Romam invaderent, Conclavis libertatem præpedituri: Ludovicus enim urbem invadere jussit, jamque Helvetiorum

rum

Sæcul. XVI. rum agmen iter aggrediebatur, cui ta-
A.C. 1503. men juxta Regis vota propius civitatem
 accedendi spacium haud relictum est,
 nec plus Regi datum, quam ut Salutia-
 rum Marchioni præciperet, classem suam
 instrueret tot militibus, quot ex Cajeta,
 quin tamen urbem præsidio nudaret, e-
 ducere posset, demum vero ad ostiæ por-
 tum procurreret, & Consalvum a Roma-
 næ urbis aditu arceret, ne forte ipse
 Purpuratos in novi successoris electione
 ad sua vota compelleret. Regis man-
 dato obtemperat Marchio, Ostiam-
 que pervenit, ac quatuor millia, Vete-
 ranæ militiæ viros classi imponit, eisque
 in loco tam opportuno castra designat,
 ut adventantis Consalvi metu omnino
 liberi essent. Eodem etiam tempore
 Mantuanus Marchio cum suis copiis iter
 suscipiebat, suoque adventu Valentini
 Ducem sensim pristinæ suæ sanitati re-
 stitutum præpediebat, ne Hispanis jun-
 ctus, arma in Gallos converteret.

§. XI.

*Cardinalis de Ambasia Pontificatum
 ambientis artes.*

Nihilominus Valentini Dux, cum suæ
 etiam securitati haud satis cautum
 esse cerneret, odio, quo in Gallos fere-
 batur, imperare, ac Cardinales Franciæ
 rebus

rebus studiosissimos sibi conciliare sa-
 tagebat; quocirca Sanseverinatem Car-
 dinalem, & Matthæum Transivum Lu-
 dovici Regis Romæ Oratorem perhono-
 rifice invitabat, ut eum invisere vellent:
 Nec illi obsequium recusant, eosque Dux,
 ne præteritas exequerentur injurias, ro-
 gat, juramenti religione contestatus, se
 semper inviolabili fide Gallis adhæsurum,
 nec ultra adversum se querendi lo-
 cum eis daturum: ut vero promissorum
 facilitati promptior fides adhiberetur, se
 tam a Columnensibus, quam Hispanis of-
 fensum, utriusque fidelitatem sibi sus-
 pectam habere professus est: Cum vero in-
 superhabita hac declaratione se a Gallis
 comprehendi pertimesceret, pluribus cri-
 minis atrocitatem efferebat, quo sese
 contaminarent, si ipsius vitam hostium suo-
 rum furori litare præsumerent.

Equidem Cardinalis, atque Orator
 hac promissorum amplitudine parum mo-
 vebantur, nihilominus verbis fidem ad-
 struere simulabant; quippe Cardinalem de
 Ambasia ad Papatum evehere cupiebant,
 id vero absque Ducis amicitia consequi
 desperabant. Idem ipse Cardinalis Vir
 ambitione inflatus, ac Pontificiæ digni-
 tatis cupidissimus, ut hanc adipisceretur,
 Ascanio Sfortiæ Cardinali in Galliis ca-
 ptivo libertatem procuravit, spe fretus,
 illum ex gratitudinis lege ejus commo-
 Hist. Ecclesiast. Tom. XXXI. G g dis,

Sæcul XVI dis, votisque inservituum; quapropter
A.C. 1503. Sfortia non modo liber dimittebatur, sed
 etiam restitutis omnibus ejus bonis magnifico comitatu honorabatur: Præterea Sanseverinas, atque ipse Regis Orator, qui Cardinalis de Ambasia ambitioni suffragabantur, Valentini Duci fidem dederunt, certam ipsi, eamque maximam spem in Galliarum Regis præsidio repositam esse, iis tamen legibus ut I. copias suas Gallicis jungeret, quamprimum securitati ejus plene cautum esset, II. nil inausum, intentatumque relinqueret, ut Cardinalis de Ambasia in summum Pontificem eligeretur. Cuncta se effecturum Dux spondit, unde foedus sancitur, adjecto quodam secreto articulo, qui de Gallici hujus Ministri electione ad Papatum agebat, Duxque nonnullos recensuit Cardinales, quorum assensum omnino certum assererat, imo quamvis illis necdum collocutus fuisset, pro eorum tamen suffragiis cavebat. Enimvero oppido mirum videtur, quod Galli promissis, quæ non modo suspecta videbantur, sed re ipsa penitus inania habebantur, fidem adstruere non dubitarint.

§. XII.

Conclavis initia.

Sæcul. XVI.
A.C. 1503.

Dum interea ejusmodi artibus ludebatur, ad proximum Conclave necessaria disponuntur, die vero vigesima nona Augusti Cardinales Congregationem celebrant, ut prius Romanæ urbis tranquillitati salutaribus consiliis prospicerent. Ergo Carolum Alusium viginti millium exercitui præficiunt, eodemque tempore platearum fauces firmo obice obstrui, atque catenis claudi jubent, ne equitantibus accessus pateret. Fidem quoque suam sacro Collegio obstrinxit arcis S. Angeli Præfectus, jurans in verba Medicei, Cæsarini & Sanctæ Crucis Cardinalium, ipse vero Hispaniæ Legatus se obtulit sponsorem pro Præfecto, qui eodem die Cajetanum Bernardinum Alviatum Abbatem, Camerae Auditorem, Jacobum de Sanarello, aliumque Abbatem, postquam de viginti Ducatorum millibus cavissent, libertati restituit: sub idem autem tempus Hispani Ursinorum Palatio in Monte Jordano ignem subjiciebant.

§. XIII.

Sacrum Collegium Valentini Duci reconciliatum.

In alia Congregatione, quæ in Ecclesia S. Mariæ supra Minervam habebatur,
G g 2 decre-

Sæcul. XVI decreverunt Patres, quod concordiae pa-
A.C. 1503. cta cum Valentini Duce ineunda essent,
 cum ille sese S. Collegio subiecturum pol-
 liceretur, unde Pandolpho, qui Cameræ
 Apostolicæ a secretis erat, datum est nego-
 tium, ut cum Agapito Damelia, qui Duci ab
 Epistolis fuit, conferret. Pandolphus in
 sequenti Congregatione prælegit pacta ab
 Agapito firmata, quibus Dux spon-
 dit, se non modo S. Collegium, sed sin-
 gulos Cardinales, Romanos Nobiles, ci-
 ves, & populum pro viribus defensurum,
 ac Cardinalium Palatia præsidiis muni-
 turum. Post hæc Cardinales, ut pro ex-
 equendo hoc fœdere Ducis fidem fortius
 sibi obstringerent, sanciebant supre-
 mum Pontificii exercitus imperium, do-
 nec novus Papa eligeretur, eidem esse de-
 ferendum, adjectis etiam solitis hono-
 ribus, ac stipendiis; præterea statutum,
 quod Conclave in arce S. Angeli cele-
 brandum esset, Prospero autem Columnæ
 necnon Ursinis, sacri Collegii auctoritate
 inhibendum, ne Romam adirent, eoquod
 ceteri ab illis electionis libertatem tur-
 bari pertimescerent: Prosper tamen
 spreto Cardinalium interdicto eadem die
 urbem ingressus est, & apud sacrum Col-
 legium, eoquod illi non obtemperasset,
 sese exposita excusatione purgavit. Sub
 idem ferme tempus Ludovicus Rutilia-
 nus, & Fabius Ursinus cum ducentis equiti-

equitibus, totidemque peditibus Ro- Sæcul. XVI.
 mam ingrediuntur, pluresque domos, A.C. 1503.
 atque inter ceteras Casani Cardinalis
 Palatium deprædantur. Comperta ho-
 rum insolentia ambos urbe excedere
 compellunt.

Proxima feria sexta duodecim nomi-
 nantur Cardinales, qui cum Imperato-
 ris, Franciæ ac Hispaniæ Regum Ora-
 toribus, necnon Venetæ Reipublicæ Le-
 gato, ejusque Secretario conferrent, eos,
 ut Valentini Ducem Roma exire jube-
 rent, inducturi, simulque illis expositu-
 ri, decentiæ legibus minus congruum
 reputari, quod Hispaniæ, ac Galliæ
 Oratores quosdam suæ Nationis viros ad
 se allicerent: postquam ergo hac super
 re diu utrinque disceptatum, tandem
 iidem Oratores sacri Collegii votis ces-
 serunt, atque in Vaticano Valentini Du-
 cem adierunt, supplices, ut cum suis
 copiis, quas Romanæ urbi intulit, egre-
 deretur: ille vero reposuit, se nec in suo
 Palatio, nec in urbe securum habere lo-
 cum, proin copias eo consilio adductas
 dimittere haud posse. Oratores per-
 cepto responso Duci offerunt, se eidem
 cum duobus, aut tribus domesticis, vel
 in suis ædibus, vel in arce S. Angeli ha-
 bitationem paraturos. Arcem Dux se-
 legit, dummodo ad libertatis suæ secu-
 rita-

Sæcul. XVI ritatem quoddam militum suorum agmen
A. C. 1503 secum ducere posset, ceteros missos face-
 re pollicitus: verum re indecisa Orato-
 res recessere; cum enim Cardinales, ni-
 si arce S. Angeli potirentur, electionis
 libertati haud consultum esse existima-
 rent, eam Ducis potestati relinquere om-
 nino recusabant.

§. XIV.

*Valentini Dux patris conditionibus
 Roma exire pollicitus.*

Attamen arcis Præfectus Cardinales,
 ut ibi Conclave celebrarent, recipere
 renuit, caussatus, se promississe, quod
 illam futuro Pontifici consignaturus es-
 set, proin nolle se datam fidem violare.
 Interea die trigesima Augusti Romam ve-
 nerunt Jacobus Senensis Cardinalis,
 moxque prima Septembris, quæ erat fe-
 ria sexta, in Neapolitani Cardinalis Pala-
 tio Congregatio habetur, ad quam vo-
 cabantur Oratores, quibuscum, ut Va-
 lentini Dux Roma excedere compelleretur,
 sequentes statuebantur articuli. I. In-
 tegrum sit Duci cum omnibus copiis
 suis, belli tormentis, ac necessario com-
 meatu de urbe, ac Ecclesiæ ditionibus ex-
 cedere. II. Populus Romanus fidem det,
 se eundem nullo pacto laceffiturum, cun-
 ctaque, quibus indigeret, etiam equos
 ad

ad trahenda tormenta requisitos suppe- Sæcul. XVI.
A.C. 1503.
ditaturum. III. Sacrum Collegium illi li-
berum per Romandiolam, aliasque sui
dominii terras transitum concedere pro-
mittat. IV. Vicissim vero Dux fidem
suam obstringat, se omnino impediturum,
ne populo, aut palatiis ad delectationem
constructis, vel armentis ullum damnum
inferatur, nec minus se post triduum Ro-
ma egressurum, postera vero die Prospe-
ro Columnæ, ut de eadem urbe exiret, præ-
cepturum: Cæsaris autem ac Regis Ca-
tholici Oratores suorum Principum no-
mine pollicebantur, se prohibuituros, ne
Valentini Dux, aut Columnenses, sede
vacante, ad decem leucas urbi appropin-
quarent. Id ipsum pro Ursinis Franciæ
Legatus promittebat: his articulis a Va-
lentino Duce firmatis populus Romanus
Hispanorum Oratoribus spondit, se
nullatenus passuros, ut vel ipsis, vel eo-
rum ædibus damnum, aut injuria infe-
ratur. Præterea Franciæ Orator sibi S.
Angeli arcem tradi petiit, sed repulsam
tulit.

§. XV.

*Cardinalis de Ambasia, alii que Pur-
purati Romæ.*

Postea Cardinalis de Ambasia cum A-
scanio Sfortia, & Arragonensi Car-
dina-

G g 4

dina-

Sæcul. XVI.
A.C. 1503.

dinalibus ex Galliis profectus est, Papatum aucupaturus: ast Romam delatus nuncium accepit, dilatum esse Conclavis ingressum, nec Cardinales sacris hisce comitiis initium duros, donec Valentini Dux cum copiis suis urbem reliquisset. Adeo æqua erat Cardinalium petitio, ut Cardinalis de Ambasia oblectari minime auderet, quin imo pollicitus est, nequidem Gallorum copias, quæ tum Nepitæ castra tenebant, Romanam accessuras, quamdiu Cardinales in Conclavi, quod haud ultra differretur, hærent. Demum Cardinale Cornario Romam adveniente, insonantibus tubis editum promulgatur, quo indicta mortis poena prohibebatur, ne quis Valentinum Ducem, suosque injuriis afficere præsumeret; die vero secunda mensis Septembris Dux positus insignibus in lectica occlusa Roma abiit, quem Cæsarinus Cardinalis prope portam, quæ ducit ad Montem Marium, præstolabatur, sed eum jamjam transiisse, ac Neapolim versus iter arripuisse compererat; paulopost Cardinalis etiam Sanseverinas abeuntem secutus est.

Cum vero Roma crebris tumultibus agitaretur, defuncti Pontificis exequiæ non nisi quarta Septembris die, quæ erat feria secunda, inchoatæ fuerunt, eodem-

demque die Julianus Cardinalis S. Petri Sæcul. XVI. A.C. 1503.
 ad vincula, necnon Comensis Romanam urbem adventu suo honorarunt, proin
 in sacro Purpuratorum Collegio quadra-
 ginta septem recensebantur Cardinales,
 ex quibus triginta octo non impediti sa-
 cris comitiis initium dederunt.

§. XVI.

Cardinales Conclave ingressi.

Ergo Palatium Vaticanum ex veteri Marian lib. 28. n. 14. § 18.
 more pro ferendis suffragiis seligitur, ac pro Cardinalibus triginta & octo pa-
 rantur cubilia; illud vero, quod in prio-
 ribus comitiis Alexander VI. Papa occupa-
 bat, Senensi Cardinali obtigit, idque
 a plerisque in prosperum omen acce-
 ptum est, quamvis illi, qui de Papatu
 contendebant, singuli potius artibus,
 ac amicorum suorum favoribus, quam
 probitatis, scientiæ, ac virtutis suffra-
 gio ad supremam hanc dignitatem voca-
 ri ambirent; has enim prærogativas ve-
 lut vana nomina negligere videbantur.
 Inter ceteros Cardinalis de Ambasia Ro-
 tomagensis Archiepiscopus spe sua pro-
 ximus accedere, apertiusque Papatum
 appetere videbatur, cujus tamen ambi-
 tionem Julianus Ruvereus, alias Car-
 dinalis S. Petri ad vincula dictus omni,
 quo potuit, modo eludere conabatur,
 qui

Sæcul. XVI.
A. C. 1503. qui quamvis artis amicitiae vinculis Gal-
liarum Regi adstrictus, semperque huic
nationi addictissimus crederetur; nihilo-
minus in Pontificatus adeptione nemi-
nem præferri sibi patiebatur. Consalvus
quoque, magnus ille Bellidux, Regis
sui commoda procurare sollicitus, arti-
bus suis Conclavis libertatem turbare
conabatur, dum adjuncta amicorum suo-
rum auctoritate Bernardinum Carvaja-
lum Cardinalem potenter fulciebat: In-
nullum tamen ex hisce tribus Competi-
toribus eligentium suffragia conspirabant,
ut mox perspiciemus.

§. XVII.

*Juramentum ante electionem a Car-
dinalibus præstitum.*

Marian ib.
n. 18.

Igitur cunctis Cardinalibus Conclave
ingressis, præleguntur articuli olim
ab Innocentio VIII. decreti, sancitur-
que, ut quilibet eos describeret, ac
octodecim eorum postera die, quæ ad-
denda vel demenda censerent, sacro Col-
legio referrent, quod & effectui datum:
iidem quoque Cardinales communi om-
nium suffragio ante electionem decerne-
bant, ut is, quicumque Pontifex renun-
ciaretur, jurata fide promitteret, se in-
tra biennium Generalem Synodum con-
vocaturum, eandemque singulis tribus
annis

annis repetendam, lege in omne tem-
 pus lata; ut tandem restituta Ecclesiæ
 disciplina, ac sanctitate, superioris tem-
 poris licentia ubique latius serpens re-
 primeretur, ac Curia Romanæ abusus
 abolerentur. Una omnes, se hoc decre-
 tum, quod deinceps Ecclesiastici Cano-
 nis vigorem obtineret, integra fide ad-
 impleturos, juramenti religione sese ob-
 strinxerunt, demum vero ad electionem
 processerunt.

§. XVIII.

*Cardinalis Ascanius adversus Cardi-
 nalem de Ambasia.*

Equidem Cardinalis Ascanius Sfortia
 specietenus Cardinali de Ambasia fa-
 vebat, re tamen ipsa ejusdem consilia ever-
 tere conabatur, hinc cum Franciscum
 Piccolominæum Senensem Episcopum,
 Pii II. ex Sorore Nepotem eidem potis-
 simum adversari cognosceret, in hunc
 ipsum plurimorum suffragia inclinare fa-
 tagebat, cum aliunde Ascanius naturæ
 suæ genio Gallis minus propensus foret;
 mæsta enim carceris, cui inclusus fue-
 rat, imago identidem ob ejus oculos
 versabatur, nec ipsa quoque recuperata
 libertas, atque honores, qui illam co-
 mitabantur, perpeffæ calamitatis memo-
 riam oblitterare poterant; præterea ini-
 quo

Sæcul. XVI.
 A.C. 1503.

Sæcul. XVI.

A C 1503.

quo ferebat animo, fratrem suum ad-
 hucdum Lochiæ captivum detineri, nec
 ad suas preces, nec ad Maximiliani Im-
 peratoris, qui hujus libertatem expo-
 scebat, jussa liberum dimitti. Denique
 Ascanius, ac ne id quidem temere sibi
 persuadebat, Gallos, si Cardinalis de
 Ambasia eligeretur, abs dubio Ro-
 mæ dominatum quasi, supremumque
 imperium exercituros, ac Neapolis Re-
 gnum ingressos, ceterorum Cardinalium
 juribus plurimum obfuturos: si vero Car-
 dinalis Gallis infensus ad Papatum assu-
 meretur, Romanæ urbis libertatem sal-
 vam fore, nec Neapolis Regnum tanta
 facilitate Gallorum imperio subjicien-
 dum. Ergo Ascanius his rationibus per-
 motus, Cardinalibus, quos sibi addictos
 habebat, colloquitur, eosque, ut Pic-
 colominæo suffragari sponderent, indu-
 cit; Ducem quoque Valentinensem sol-
 licitat, quem tamen præter expecta-
 tionem flecti nescium experiebatur: qua-
 propter cum hunc, ejusque ope ipsi ad-
 hærentes Purpuratos ad sua vota per-
 trahere desperaret, seorsim cum ipsis
 met agere statuit, tantoque rationum
 pondere eos adoritur, ut una omnes
 Ascanii consiliis aquiescerent, palam-
 que a Valentinensi Duce deficerent, ex
 quo Cardinalis de Ambasia bina, eaque
 firmissima Papatum aucupandi spe de-
 jectus,

jectus, nil nisi unicam viam adhuc re-Sæcul. XVI.
 liquam habebat, per quam forte solum A.C 1503.
 conscendisset, si occasionis opportunita-
 tem in rem suam vertere scivisset.

§. XIX.

*Cardinalis de Ambasia a Juliano
 delusus.*

Quippe Cardinalis de Ambasia Gallo-
 rum exercitum, qui tum Viterbii
 stationem tenuit, ad imperii sui nutum
 paratum habebat, atque identidem Bel-
 lidoce animi relaxandi gratia Romam
 petebant; præterea sibi summopere pro-
 pensos noverat Marchionem Mantua-
 num, Cadomi Prætorem, ac Saudri-
 curtium, qui sub Trimollio Duce copiis
 imperabant, His si vel verbo mentem
 suam aperuisset, mox totus Gallorum
 exercitus usque ad urbis moenia castra
 extendisset, nec eis vero similis desuis-
 set obtentus; quippe cum populo ad se-
 ditionem concitato Conclavis libertati
 minime cautum esset, copiarum irru-
 ptio facile illud custodiendi prætextu ho-
 nestari, sicque fieri potuisset, ut forte Hi-
 spani, atque Itali Cardinales, tanto mi-
 litum numero cincti, ne ad promissi si-
 dem Gallis servandam compellerentur,
 vim metumque electione Cardinalis de
 Amba-

Sæcul. XVI. Ambafia redimerent (*). Ast Cardinalis S. Petri ad vincula veritus, ne fors quisquam Ambasiensi ejusmodi consilia suggereret, cum ipsemet adipiscendi Papatus cupidissimus esset, malo obviare constituit, quapropter Competitorem suum adiens: „Pontificatum quidem, ait: „ plurimorum suffragiis tibi dari „ haud diffiteor, id vero verendum, „ ne frequentior Gallicorum Belliduum cum accessus ad Romanam urbem, „ & Conclavis tranquillitatem perturbet, „ & electioni tuæ obsit, quinimo si „ etiam designatus esses Pontifex, non „ immerito conquerentur, electionem „ tuam minime liberam fuisse, indeque „ novum schisma orietur. Itaque censeo, „ mox omnes Gallicos milites ex urbe „ ad castra remittas. „

Cardinalis de Ambafia artificiosæ huic orationi faciles aures accommodabat, Gallos Roma exire jubebat, eoque assentiente pro Conclavis custodia Italicæ conscribuntur copiæ, quibus ejusdem nationis Duces præficiuntur: igitur Cardinalis S. Petri ad vincula, cum ea, quæ intenderat, quodammodo obtinisset.

(*) An hæc legitima Papatum consequendi via fuisset, Lector Catholicus dijudicet.

tinuisset, artibus suis pugnare perrexit, Sæcul. XVI.
 & quamvis se hac vice minime eligen- A.C. 1503.
 dum probe cognosceret, alteram tamen
 electionem sibi magis propitiam spera-
 bat, unde in Cardinalem Piccolominæ-
 um, quem multo senio pressum, vix
 uno mense adhuc vita superstitem cre-
 debat, Cardinalium suffragia inclinare
 conabatur, quamvis ceteroquin eidem
 parum propensus esset. Magna erat Hi-
 spanorum Cardinalium admiratio ad tam
 inopinum hujus Purpurati consilium, qui
 tamen eos allocutus: „ Abest a me,
 „ inquit, perversum simulandi studium,
 „ in Piccolominæum oculos meos con-
 „ jicio; hunc enim capitalem Gallorum
 „ hostem existimo, eo etiam pacto Re-
 „ gum Catholicorum patrocinium pro-
 „ merebimur. „ Valuit successus; quip-
 pe non modo hi Cardinales, sed
 etiam Alexandri VI. clientes novæ huic
 factioni accesserant, quam Itali auxerunt,
 veriti, ne exterorum quisquam Papatum
 aucuparetur: unde Cardinalis S. Petri
 ad vincula, cum tertiam suffragiorum
 partem certam haberet, palam Picco-
 lominæo favit, cui etiam Ascanius, Vo-
 laterranus, alique nonnulli Cardinales
 sua studia addixerunt: hinc postera die
 decima septima Septembris Vaticanæ
 Ecclesiæ Custos quandam portam lapi-
 pibus obstructam, quæ ad Piccolominæi
 cubile

Sæcul. XV
A.C. 1503. cubile ducebat, aperire iussit, quemdam
ex ejus famulis ad illum mittens, qui
Cardinalem de proxima ipsius electione
certiorem faceret.

§. XX.

*Cardinalis Senensis Papa electus sub
nomine Pii III.*

*Mariana
lib. 28. n. 18.
Petr. Delph.
l. 7. epist. 84.*

Eo tempore Cardinalis Senensis lecto
affixus hærebat, ejus tamen rebus
Cardinalis S. Georgii, alique prospexe-
runt, tandem vero ad suffragiorum scruta-
tionem proceditur, ubi idem Cardina-
lis plurimorum vota tulit, ac trigesimo
quinto (*), quo Conclave tenebat, die,
vige.

(*) Quod Conclave triginta quinque dies tenuerit, manifesta est hallucinatio; ipse enim Continuator §. XV. testatur, non nisi quarta Septembris die exequias defuncti Pontificis inchoatas fuisse, quæ de more novendiales sunt, proinde Cardinales non nisi octo vel novem diebus in Conclavi congregati hærebant; hæc Continuator ex Volaterrano discere potuisset, qui lib. 22. cum aliis refert. Die XXX. vacantis Sedis Cardinales Conclave ingressi, octava post die Piccolomineum creant, cujus fama bonitatis animi omnium ad bene jam de religione, deque rebus humanis sperandum excitati fuerit. Ex quo, omniumque Scriptorum testimonio

vigesima secunda Mensis Septembris Sæcul. XVI.
A.C. 1503.
 summus Pontifex renunciatus, Pii III. no-
 men assumpsit, in memoriam Pii II. sum-
 mi Pontificis, cujus ex Sorore nepos e-
 rat. Hujus Viri electio summo totius
 Orbis applausu excepta est; jamdiu enim
 communis omnium opinio illum cunctis
 suis Competitoribus longe præferendum
 censebat. Enimvero nullus ad extirpan-
 das, quæ sub nupero Pontificatu vi-
 gebant, corruptelas magis idoneus erat,
 nec novæ dignitatis sublimitas pristinam
 ejus vivendi rationem immutabat; nam
 exulabant ab eo arrogantia, superbia,
 ac ferocitas, nil asperum in moribus, nil
 molle in corporis habitu præseferbat,
 semper ut antea modestus, comis, atque
 ad prudentiæ leges compositus, necnon
 fervens in eo ardebat studium Eccle-
 siæ, ac præsertim Curiæ Romanæ mores
 severiori censura perstringendi, ac tetram
 labem quorundam Cardinalium amo-
 vendi, qui fastu, luxu, aliisque turpiori-
 bus vitiis purpuræ, qua induebantur,
 splendorem obscurabant: Electum igitur
 quanto-

*quo patet, ea omnia, quæ Continuator de arti-
 bus in ejus electione adhibitis refert, conficta
 esse, cum sine teste recenseantur, Et a Ciaconio,
 Odorico Raynaldo, Panvinio, Paggio, Bzo-
 vio, aliisque Scriptoribus omnino taceantur.*

Hist. Eccles. Tom. XXXI.

H h

Sæcul. XVI
A.C.1503.

quantocius Cardinales sacro pedum osculo, & Pontificiis insignibus honorant, quo facto Cardinalis S. Georgii aperta Conclavis fenestra ejusdem electionem populo annunciabat, demum vero Papa ad Ecclesiam S. Petri delatus, cum ob cruris dolores in genua procumbere haud posset, caput inclinando nec ultra se erigens, Altare, cui postea imponebatur, salutabat, quibus peractis Hymnus Ambrosianus decantabatur.

§. XXI.

*Neo-electus Papa Sacerdos, atque
Episcopus initiatus, ac demum
coronatus.*

Post hæc neo-electus Pontifex omnes Cardinales suos sub Basilicæ Vaticanæ porta majori valere jubet, atque ad Palatium suum defertur; postera vero die S. Collegium ad alloquium admittit, ingensque testificabatur desiderium, ut a Cardinale Neapolitano sacrum Presbyteratus Ordinem recipere posset, eo autem recusante Cardinalem S. Petri ad vincula adiit, qui die trigesima Septembris hisce cæremoniis functus est: Die autem vigesima nona ejusdem Mensis, quæ erat feria quarta, non sine ingenti dolore duas in crure incisiones perpeffus est;

Secul. XVI.
A.C. 1503.

est; nihilominus prima Dominica Octobris a præfato Cardinale Episcopus consecratur, altera vero die Valentini Dux cum suis equitibus, ac pedestri agmine Romam reversus, in Palatio Vaticano domicilium fixit, eumque proxima feria tertia Cardinalis tit. S. Praxedis invisit. Demum die octava Octobris, quæ in Dominicam incidit, summus Pontifex super gradus Ecclesiæ Vaticanæ a Cardinale S. Georgii solemnè pompa in Pontificum inaugurationibus consueta, Tiaram recepit.

§. XXII.

Papa Gallis aperte adversatus.

Neo-electus Papa folio vix conscenso, quantocius Gallos ex ditionibus Ecclesiæ excedere iussit, ipsum quoque Cardinalem de Ambasia durius habuit, qui a Romanis illusus, cum Ursinis & Baglionibus novum foedus inire moliebatur, hi vero, quamvis ex Gallorum ære copias conscripsissent, cum Valentini Ducem a Gallis defendi cernerent, iis relictis sua studia Hispanis devoverunt. Dux hac rerum vicissitudine territus, ac Romæ securitati suæ minime cautum esse ratus, Jordanum Ursinum unicum hujus familiæ surculum adhucdum Gal-

*Raynald.
hoc ann n. 12
Raph. Volater. lib. 22.*

Sæcul. XVI A C. 1503. lis additum supplex adiit, ut eum in ar-
cem suam recipere vellet.

§. XXIII.

*Ursini Valentinensem Ducem capere
moliti.*

Cum vero Valentinensis ductore Jacobo Sillyo Cadomi Prætore plusquam centum armatorum præsidio munitus, ad arcem deduceretur, Ursini in eum, ipsumque agmen irruunt, ac tertio impetu in illos facto, ingenti clade affectos profligant. Sillyus inter hæc arcta prehensus, nil reliquum habebat, quam ut lectica, in qua Dux ferebatur, in medio suorum posita per gladiatorum acies erumperet, ac ferro sibi viam Romam versus aperiret; nihilominus gravissime saucius ægre per ultimas cædes elabatur, Ducemque hostium furori eripit, qui ad arcem S. Angeli fuga sibi consuluit, a Præfecto perbenigne exceptus; hunc enim Ducis Pater amplis favoribus cumulabat, nec neo-electus Pontifex officio spoliabat. Tandem etiam die duodecima Octobris feria quinta Romæ promulgata est armorum societas Columnnenses inter & Ursinos eo fine inita, ut in Neapolis Regnum adversus Gallos Hispanis auxilia submitterent: Verum summo Pontifici adversa valetudine presso, nec diu vita super-

superstiti hujus foederis eventum praesto-
lari invidia mortis haud indulgit.

Saecul. XVI.
A.C. 1503

§. XXIV.

Pii III. Pontificis obitus.

Jam sexto post electionem die summus Pontifex adeo molesto, gravique morbo opprimebatur, ut ab illo temporis puncto publicis negotiis incumbere praepediretur, ac postquam viginti omnino dies in exigua salutis suae spe animam traheret, plurimum ingravescente morbo Sacrum Viaticum a suo conscientiae Moderatore, ac demum extremam unctionem sibi administrari postulavit, quibus perceptis circa meridiem vigesimo sexto ab electione die animam Deo reddidit, communi omnium recte sentientium luctu, qui Pium velut Virum pro bono, ac honore Ecclesiae divinitus datum, atque ad reparandos praeteriti temporis abusus maxime idoneum venerabantur. Quorumdam Historicorum opinio est, illum veneno, quod ei Pandolphus Petrucius Senarum Gubernator propinasset, fuisse sublatum. Corpus ejus Pontificali habitu ornatum, ad exterius cubile deferebatur, atque in quodam lecto, qui sericis velis viridis coloris coopertus erat, exponebatur. Ast haud diu ibidem relictum, sed ad cubile, ubi animam egit,

H h 3

trans-

Sæcul. XVI. translatum fuit, & postquam ejus obitus
A. C. 1503. Poenitentiariæ tabulis inscripſus erat, reci-
 tato mortuorum officio ad Ecclesiam S. Pe-
 tri in Capella Sixtina repositum est, & us-
 que ad feriam quintam publice expositum
 permansit, inde autem circa horam diei
 tertiam, præcedentibus omnibus Cleri-
 cis, qui accensos gestabant cereos, a fa-
 mulis suis ad Sacellum S. Georgii porta-
 batur, ibique justis funebribus de more
 persolutis, in Mausoleo, quod sibi aliquo
 ante obitum tempore extrui curavit, con-
 ditum fuit. Intererant exequiis quin-
 decim Cardinales, ac re divina per Car-
 dinalem S. Petri ad vincula peracta, Do-
 minicus Crespus defuncto oratione fune-
 bri parentavit: Post hæc Palatii Apo-
 stolici custodia Tarentino Archiepiscopo
 demandata est, Salutiarum vero Marchio
 defuncti Pontificis Nepos eodem adhuc
 die sese ad Patruſi sui ædes recepit.

§. XXV.

*Molimina Cardinalis S. Petri ad
 vincula pro Papatu.*

Papyr. Mass. in Jul. II. **A**gre Cardinalis S. Petri ad vincula
 exequiarum finem præstolabatur,
 ut ad assequendum Papatum patronos
 sibi conciliaret, ac primo Ascanium Car-
 dinalem sollicitabat, ut non solum ipse,
 sed etiam sui clientis ejus partes tueren-
 tur,

tur, adjecta pollicitatione (*), se, si in Sæcul. XVI.
 Papam eligeretur, Ludovico Sfortiæ Me- A.C. 1503.
 diolanense imperium denuo asserturum.
 Ascanius promissi amplitudine captus as-
 sentit: Post hæc Cardinalem Carvaja-
 lum Hispanæ factionis caput sibi adjun-
 xit, facta spe, sua opera Regem Ca-
 tholicum Neapolis corona perpetuo jure
 potiturum. Tandem etiam Valentini
 Ducem adiit, cum illo in Vaticano Pa-
 latio collocutus, ubi Hispani factionis
 suæ Cardinales erant præsentés, quibus-
 cum in gratiam rediit, & factis utrinque
 amplissimis pollicitationibus, foedus cum
 illis pepigit, quo inter alia decretum, ut
 Cardinalis S. Petri ad vincula sese ob-
 stringeret, quod Ducem, si is suis ar-
 tibus ad Papatum illi aditum sterneret,
 Ecclesiæ Vexiliferum, ac supremum Pon-
 tificii

(*) Ita quidem Continuator: Odoricus ta-
 men Raynaldus ad hunc annum num. II. hanc
 in rem inquit: Non desunt, qui malevolentia
 suffusi, illum profusis largitionibus, amplissi-
 misque promissis potitum Pontificatu affir-
 ment. Verum futuri hujus Pontificis electio-
 nem atris coloribus depingere, e re Conti-
 nuatoris erat; hunc enim in progressu suæ
 historiæ Gallis summe infensum fuisse, fre-
 quentius refert.

Sæcul. XVI. tificii exercitus Præfectum creaturus
A.C. 1503. effet, Dux vero vicissim Cardinali pollicebatur, se ejus electionem illorum, qui olim Alexandri VI. clientes erant, suffragiis adjuturum, dein ad servandas has leges, ut certior eorum fides effet, sacramenti religione sese obstrinxerant.

§. XXVI.

*Cardinales Conclave ingressi; &
 Cardinalis S. Petri ad vincula
 in Papam electus.*

Belcar. lib. 9. Interea totum, quod a die obitus usque
Raynald. ad Mensis Octobris finem effluebat,
ad an. 1503. temporis spatium ejusmodi artibus infu-
v. 2. mebatur: Tandem vero trigesima prima
 ejusdem Mensis die triginta quinque Car-
 dinales supplicantium more Conclave in-
 grediebantur, præcedentibus S. Petri Ca-
 nonicis, qui hymnum: *Veni Creator &c.*
 præcinebant: Demum Missa de Spiritu
 Sancto per Cardinalem Alexandrinum
 decantata, Palatii Ministri quisque ordi-
 ne suo in verba Cardinalis S. R. E. The-
 saurarii jurarunt: Sole autem ad occa-
 sum inclinante habita est Congregatio,
 in qua decernebantur articuli a neo-ele-
 cto Pontifice, interposita juramenti reli-
 gione, observandi, & paucis post ho-
 ris

ris Cardinales Hispani Cardinalem S. Pe-
 tri ad vincula eligere statuebant, hinc
 una omnes excepto Cardinale Alexan-
 drino ejusdem cubile accedunt, futuram ei
 dignitatem gratulaturi, feria autem quar-
 ta, in quam Festivitas omnium Sancto-
 rum incidebat, Massensis Episcopus æ-
 dis sacræ Custos, ac supremus Thesauri
 Præfectus Missam de Spiritu Sancto ce-
 lebravit, cui triginta duo Cardinales in-
 terfuerunt, qua finita cuncti ad suffra-
 giorum scrutationem processerunt, ac se-
 dibus quisque suis occupatis, omnes
 successivo ordine secuti in sacrosancta ju-
 rarunt Evangelia, quod articulos nuper
 decretos integra fide servare velint, at-
 que tres Notarii de his publicum confi-
 cientes instrumentum, illud subscribi jus-
 serunt a Massensi Custode, Paulo de Pla-
 nuta, Justino Carresio, & Alphonso Di-
 sceno Sacri Consilii Advocatis.

Secul. XVI.
 A. C. 1503.

His peractis mensæ hanc in rem al-
 latae Calix imponebatur, & Cardinalibus
 solis in sacello manentibus, clausisque
 portis, schedæ perlegebantur, ex quibus
 Julianum Ruverum Cardinalem tit. S.
 Petri ad vincula omnium suffragiis ele-
 ctum fuisse perspiciebatur, simulque ob-
 servatum, quod omnes Electores suas
 schedas propria manu exarraverint, ex-
 ceptis Cardinalibus Neapolitano, Rotho-
 magensi, & Casanova, qui conclavi
 affi-

Guicc. lib. 6.
 Bembo hist.
 Venet. lib. 12.

H h 5

Sæcul. XVI. assistentium calamis, atque opera ute-
 A.C. 1503. bantur.

§. XXVII.

*Neo-electus Papa Julius II.
 appellatus.*

*Masson.
 Jul. II.
 Raynald. hoc
 ann. n. 2.
 Marian.
 l. 28.*

Albifala

Scrutatione absoluta Cardinales Neo-
 electo Pontificiam dignitatem gratu-
 lantur: hic vero, cum & ipse egregius
 miles esset, ob memoriam Julii Cæsaris,
 ut autumant nonnulli, Julius II. appellari
 voluit; ingenium habuit acerrimum, at-
 que indolem turbis assuetam, ac quietis
 impatientem: Cetera novus iste Ponti-
 fex pro natali solo obtinuit Albam Do-
 liam, oppidum haud procul Savonna dis-
 situm, Parentes vero illius erant Raphael
 Sixti IV. Papæ frater, & Theodora Ma-
 nerola. Primo Carpentoratensis, deinde
 Albanensis, Ostiensis, & Bononiensis E-
 piscopus, demum vero Avenionensis Ec-
 clesiae in Archiepiscopatum erectæ Præ-
 sul renuntiatus est, & Anno millesimo
 quadringentesimo septuagesimo tertio
 Sixtus V. illum purpura donavit, illius-
 que opera in compescenda Umbrien-
 seditione aliquoties usus est, quod munus
 bellicæ illius indoli apprime conveniens
 erat.

§. XXVIII.

§. XXVIII.

Sæcul. XVI.
A.C. 1503.*Julii II. inauguratio.*

Hujus electione populo annunciata, sacerorum rituum Magister Papam comitabatur, eumque Pontificiæ Cathedræ imposuit, Cardinalis vero Neapolitanus Annulum Pauli II. digito ejus inseruit, atque alio adhuc paulo post allato, quem Piscatoris annulum vocant, inciso Julii II. nomine decoratus est; quippe cum illius electio, antequam Cardinales conclave ingressi erant, ab eis jamjam decreta esset, non solum annulo nomen prius insculpi curabant, sed etiam Julii insignibus plura Romanæ urbis loca honorabant. Post hæc Julius II. ad Cardinalium preces Pontificis muneris sollicitudinem auspicabatur a subscribendis articulis nuper decretis, quos tamen omnes chirographo suo munire noluit, sed in tertio substitit, eosque Fabio, quem Datarium creaverat, tradidit, pollicitus, se omnes unacum Bullis eorum, qui conclavi assistendi jure potiuntur, proxime signaturum. Postea Rochetto exuitur, quod cum ceteris ejus vestibus sacrorum rituum Magistro donatum est, demum vero candida toga, aliisque indutus ornamentis ad altare defertur, debito cultu a Cardinalibus colendus, inde præ-

Raynald. ib.

Sæcul. XVI. præcedentibus iisdem Cardinalibus ad
 A.C. 1503. Basilicam D. Petri deportatur, ubi bene-
 dictione populo data Hymnus *Te Deum*
&c. decantabatur. Peractis hisce so-
 lemnis Pontifex ad Palatium suum dela-
 tus, potioem Cardinalium partem, &
 inter ceteros Rothomagensem, & Sanse-
 verinatem ad prandium invitavit, ejus-
 que jussu eodem adhuc die Valentinenfi
 Duci in cubili novo, quod aulæ publicis
 colloquiis destinatæ impendit, habita-
 tio assignata est: Denique summus Pon-
 tifex coronationem suam supra gradus
 Ecclesiæ S. Petri solemniter celebra-
 dam ad diem decimam nonam Novem-
 bris indixit.

§. XXIX.

Quatuor Cardinalium Creatio.

*Vittorel. in
 addit. ad
 Ciacon.
 Paris. de
 Grassis MS.
 arch. p. 346.
 in Vatican.
 ap. Raynald.
 hoc an. n. 20.*

Die decima octava hujus Mensis, quæ
 erat Dominica, Valentini Dux me-
 dia nocte Roma excessit, ostiam, inde
 vero maritimo itinere unacum Barone
 Ruvereo Pontificis Nepote Franciam pe-
 titurus, qui tamen certas ob causas Ro-
 mam revocatus, denuo Ostiam remissus
 est: die autem vigesima Novembris Ur-
 finus Dux per portam Flaminiam Ro-
 mam ingressus, obvios habuit Narbonen-
 sem Archiepiscopum, Rhodiorum Anti-
 stitem, & Fresni Marchionem Galliarum
 Regis

Sæcul. XVI.
A.C. 1503.

Regis Oratorem, Dux vero Romæ in Palatio Apostolico diversatus, summum Pontificem sacro pedum osculo veneratus est. Octavo post die, id est, vigesima nona ejusdem Mensis Papa Cardinalium Senatum auxit, quatuor Prælati purpura decoratis. Hi erant sequentes I. Franciscus Guilielmus Castelnus de Claramonte Ludevensis natione Gallus, primo Narbonnensis, postea Auxitanæ Ecclesiæ Archiepiscopus, tit. S. Stephani in monte Cælio; II. Joannes Zuniga Hispanus supremus Magister Militum de Alcantara, Hispalensis Archiepiscopus, tit. SS. Nerei & Achillei; III. Clemens Ruvereus patria Savonnensis, Sixti IV. Pontificis Nepos, Mimatensis Episcopus, primo tit. S. Clementis, postea SS. duodecim Apostolorum. IV. Galiotus Franciottus de Ruvere, Julii II. regnantis Papæ Nepos, patria Lucensis, ejusdem urbis Episcopus, postea Patavii, ac Cremonæ Antistes, demum Bisantii Archiepiscopus, Presbyter Cardinalis tit. S. Petri ad vincula.

Castelnus
Clermont
Lodove

§. XXX.

Plurimi Oratores a Papa excepti.

Præterea summus Pontifex multis non pauca contulit beneficia; ceterum anti-

Sæcul. XVI.
A. C. 1503.

antiqua ferebat consuetudo, ut recens creati Cardinales Papam, totumque S. Collegium adirent, grates repensuri, nunc vero ex novo quodam ritu in suis cubiculis manentes, nec habitum mutabant, nec rubrum pileum sibi imponebant, ad Patrum tamen Senatum purpura ornati accedebant, in quo Pontifex pro more eis silentium indixit, illudque in alio confessu, in quo Cardinalem Rothomagensis Nuncium Apostolicum in Francia nominabat, solvit, quæ solemnitas *apertio oris* vocatur. Eodem die advenerunt duo Legati Ferrarienses, qui nomine urbis suæ summo Pontifici debitum exsolvebant obsequium. Hos brevi excipiebant Senenses, Florentini, ac Genuenses, idem submissionis genus professuri: Anno autem primum sequente Romam venerunt Angliæ Oratores, in quorum receptione singulare factum occurrit, quippe ad alloquium Pontificis admissi literas mandati publicas Regis sui exhibent, quarum prima verba erant; *Henricus per Dei gratiam, Angliæ & Franciæ Rex, Hiberniæ Dux.* Percepto hoc verborum tenore Robertus Roscinonensis Episcopus Franciæ Legatus, qui tum præsens aderat, ad pedes Pontificis supplex provolvitur, ne Angliæ Legatos Francorum Regis nomen usurpantes audiret, idque datum est Episcopi

copi precibus: quapropter Angli hanc Regis sui prærogativam jussu Pontificis debebant, eum non nisi Angliæ Regem, ac Hiberniæ Ducem appellantes, cujus rei instrumentum publicum Episcopus confestim confici præcepit.

Sæcul. XVI.
A.C. 1503.

§. XXXI.

Fœdus Papam inter & Valentini Ducem.

Quamvis Pontifex cum Valentini Duce concordiæ pacta iniisset, totus tamen in eo fuisse videtur, ut illius auctoritatem, viresque frangeret, ac Romanolam, cujus complures urbes post Alexandri VI. obitum Veneti occupaverant, recuperaret: Hæc enim Respublica imperii sui fines protendere unice intenta nil antiquius habuit, quam variis prætextibus studiose quæstitis totam hujus Provinciæ partem sibi subdicere, quamvis præter urbes, quas jamjam possidebat, ad ceteras nullum ei jus suffragaretur; cum vero Valentinus Venetorum potentiæ solus resistendo impar esset, utpote Alexandro ejus Patre fati functo Sedis Apostolicæ præsidio, ac ope destitutus, necnon a potentioribus amicis derelictus, atque a propriis suis clientibus proditus, cum Julio II. in gratiam redire conatus est, data fide, se eidem cunctas

Marian. l. 28
n. 47.

Sæcul. XVI. cunctas Romandiolæ urbes, quæ illi ad-
A.C. 1503. hucdum parerent, redditurum. Ergo
 pactileges firmantur, & Julius Papa, con-
 sentiente Valentini Duce, Carolum Mo-
 schiavellum suum a cubiculis Ministrum,
 & Petrum de Oviedo cubiculi Præfectum,
 olim Ducis famulum ablegat, plena au-
 thoritate, ac mandatis instructos, vi quo-
 rum hic, ut Forum Livii, & ille Ce-
 senam occuparent, & utriusque possessio-
 nem acciperent, dato etiam ambobus
 negotio, ut harum urbium Gubernato-
 res ad illas nulla mora summo Pontifici
 reddendas compellerent.

§. XXXII.

Valentini Ducis perfidia.

Marian. ib. Verum Dux, inconstantis ac turbulenti
 animi Princeps, vix pacta cum Julio
 inita firmabat, cum eum jam amarior
 facti poenitentia subiret, unde nil intentat-
 tum reliquit, ut quovis modo datam fi-
 dem eluderet. Ergo clam ad Didacum
 Quignonez Cesenæ Gubernatorem lite-
 ras misit, præcipiens, ut Petrum Oviedo
 a Pontifice nuper ablegatum caperet, ac
 laqueo necaret. Quignonez, Domino suo
 nec malitia, nec audacia inferior, Ducis
 iussa iniqua prorsus fidelitate exequitur.
 Post hæc Moschiavellus die nona De-
 cembris Romam redux Pontifici retulit,
 quod

quod Fori Livii Gubernator nullatenus Sæcul. XVI, A.C. 1503.
 mandatis pareret: Cesenatensis vero per-
 lectis, quas a Valentini Duce accepisset,
 literis, cunctisque verbis accurate discus-
 sis, Oviadum comprehendi, ac demum
 incognita caussa laqueo suspendi jussisset.
 Summus Pontifex Ducis perfidiam, ut
 par erat, vehementer detestatus, tam a-
 trox facinus, salvo proprio dignitatis
 suæ honore inultum minime permitten-
 dum existimabat; unde Ministri sui cæ-
 dem, eamque adeo infamem, injuriam-
 que sibi exinde illatam pro muneris sui
 ratione debita pœna mulctare statuit.

§. XXXIII.

*Valentini Dux jussu Papæ
 comprehensus.*

Itaque summus Pontifex de enormi hac
 contumelia cum Ulyssiponensi, & S. Raynald. hoc
 ann. n. 20.
 Georgii Cardinalibus contulit, ac Valen-
 tini Ducem captum ad arcem S. Angeli
 abduci decrevit. Ergo Dux cuidam in-
 cluditur cubiculo, ubi Rothomagensis
 Cardinalis quondam habitabat, cuique
 Pontificis camera incumberebat, inde ve-
 ro ad arcem S. Angeli translatus, in alio
 quodam cubili infra novam Alexandri VI.
 turrim captivus detentus est. Comperta
 Ducis captivitate Sutrinensis, & Borgia
 Cardinales ad vesperam egressi, equisque
Hist. Eccles. Tom. XXXI. I i ve-

Sæcul. XVI. A. C. 1503. S. Marcelli erant, revertuntur, inde vero noctu clam abscedunt, quæ ante templum peturi. Ceterum Papa Duci, quicquid peteret, excepta libertate, concedi iussit, quinimo ad tantam dignitatis suæ submissionem descendit, ut ipse captum inviseret, eique contra omnes suum patrocinium promitteret, dummodo Romanolæ urbes restitueret, simulque eidem significavit Pontifex, quod Ostiam esset abducendus, ibique sub custodia Cardinalis Carvajalii in captivitate detinendus, donec pactis Conventis integra fides satisfecisset. Id quidem & ipse Dux in votis habebat, hunc locum jam unicum securitatis asyllum esse ratus, quocirca Papæ votis annuit, exiguo temporis spacio cuncta amittens, quæ atrocissimum criminum subsidio per plures annos occupaverat. Interea Cardinalis de Ambasia, ne ultimum Ducis exitium velut festinabat, cui summus Pontifex benevole concessit, ut beneficia in Gallis conferendi facultate uteretur, hancque illi gratiam, eidem ab Alexandro VI. olim concessam confirmavit.

§. XXXIV.

Sæcul. XVI.
A.C. 1503.

*Romandiola a Valentini Duce Pontifici
reddita.*

Gravioris tamen moliminis res erat, ut Pontifex in Romandiola auctoritatem suam stabili imperio firmaret; hæc enim gens haud immerito contra Curiam Romanam præoccupata, ejus dominatum ferre recusabat. Equidem Faventiæ Gubernator foedere cum Venetis inito, arcem tradebat, ast urbis cives hisce pactis comprehendi omnino renuebant: unde contra arcis præsidiarios urbis aditum objecto obice obstruebant, atque Astorem Manfredum Nothum, ac unicum hujus familiæ a Valentini Duce penitus deletæ surculum advocant. Astores diu Venetorum, qui toto armorum apparatu urbem obsidebant, impetus sustinuit; Pontifex vero Faventiam a Venetis cingi, non sine ingenti animi sui moerore percepit, cum enim haud segniori ac ipsi ambitionis stimulis urgeretur, verebatur, ne Veneti, si urbem occuparent, eam recuperandi spem Sedi Apostolicæ præciderent.

Sæcul. XVI.
A.C. 1503.

§. XXXV.

Faventia a Venetis capta.

Cum vero Julius milite, æreque destitutus esset, nil reliquum habebat, quam ut Tiburis Episcopum ad Venetos decerneret, qui adjectis etiam minis significaret, quod Papa non sine stupore percepisset eorum temeritatem, qua hanc conditionis Ecclesiasticæ urbem sibi subicere præsumerent, cum tamen ipsi nunc majori, quam unquam necessitate urgerentur, ut vires suas Pontifici conjungerent, ne a duorum Regum totius Christiani orbis potentissimorum armis opprimerentur. Ad hæc responderunt Veneti, se quidem Faventiæ arcem occupasse, cum vero illam opportuna occasione auro emissent, nullum inde Sedi Apostolicæ damnum fuisse illatum, proinde sanctitatem suam immerito hac de re conqueri. Cessit tum summus Pontifex, & Faventini Venetorum imperio sese subicere compellebantur, a Victoribus tamen pensionem petebant, ut e Reipublica constitutis vectigalibus Astorres pro dignitatis, statusque sui ratione honeste vitam ducere posset. Occupata Faventia Venetis haud difficile erat, reliquam Romandiolæ partem subigere: ast acerbiorum Papæ indignationem veriti,
ab

ab armis cessabant, idque non parum e re Pontificis erat, qui tamen, ut eorum potentiam minueret, nil intentatum reliquit.

æcul. XVI.
A.C. 1503.

§. XXXVI.

*Nativitas Ferdinandi Archiducis,
& Isabellæ Lusitanæ Infantis.*

Hoc anno die decima Martii in Hispania Joanna Archiducissa, quæ post Archiducis conjugis sui discessum Com- pluti remanserat, Filium enixa est, qui Ferdinandus appellatus, postea Cæsaris dignitate inclaruit. Archiepiscopus Toletanus, qui Principem sacro fonte abluit, festivæ hujus nativitatæ opportunitate usus, geminam ab Isabella Regina gratiam petiit, ut primo urbs Complutensis ab omni exactionum genere immunis esset, ac denique mille librarum pensio annui redditus ex ærario Regis ejusdem Civitatis Universitati attribueretur. Id ipsum, quod Archiepiscopus petiit, in recens nati Principis gratiam feliciter obtinuit, indeque sibi Complutenses, in quorum urbe pro more suo habitabat, mire devinxit. Circa idem tempus Ulyssipone die vigesima quarta proximi Mensis Octobris Lusitanæ Regina Filiam in lucem edidit, quæ imposito Isabellæ nomine

*Marian. l. 27
n. 9. 7. &
lib. 28.
Alvarez.
Gomez. l. 3.*

Sæcul. XVI. mine postea Imperatrix, ac Hispa-
A.C. 1503. niæ Regina, eoquod cum Carolo V.
 tum Imperatore desponsata esset, saluta-
 ta fuit.

§. XXXVII.

*Galli Salsularum obsidionem solvere
 compulsi.*

*Marian. lib.
 28. n. 21.*

Affidue fervebant Gallorum Salsulas urbem obsidentium studia, ac diu noctuque muralibus tormentis mœnia tanto impetu quatiebantur, ut oppugnatione puncto quidem temporis intermissa, magna altioris turris pars everfa, & terreus agger, cui nondum ultima manus accefferat, penitus ferme destructus esset, quapropter Hispani ejus præsidio haud amplius tuti, illo excedere, ac nova retro propugnacula erigere decernunt; priusquam vero consilium exequerentur, per hunc aggerem cuniculum agunt, eumque pulvere pyrio replent, cumque Galli turmatim ascenderent, igne ab Hispanis subjecto, aggerem violenta vis ignium in sublime rapuit, Gallosque quadringentos rursus decidertium saxorum impetus oppressit: Præterea Albenfis Dux, cum in exercitu suo decem millia peditum, equitumque mille quingentos, præter Cataphractorum quadringentos recenseret, sat virium habebat.

bebat, ut in aperto campo bellum gereret, unde die decima tertia Octobris relictis castris in Gallos movit, & aliquamdiu instructam tenuit aciem, ac non nisi sole inclinato recessit: Rex quoque Ferdinandus die decima nona ejusdem Mensis, copiis suis Gerundæ collectis, Perpinianum contendit, atque exercitu in duo agmina diviso, altero Gallis militum suppetias, atque com meatum interclusit, altero autem, cui ipse præerat, obfidentes continenti præliolacessivit, quapropter Galli, quibus Narbonnensis Vicecomes imperabat, Hispani Regis potentiae resistendo impares, eadem nocte obsidionem diuturnam satis, jamque in quadragesimum diem effluentem solvunt, pedemque tam præcipiti fuga referunt, ut potissimum belli apparatus, & sarcinas suas in castris Victoribus relinquere compulsi essent, in hoc solo providi, quod inscio penitus Rege Catholico belli tormenta Narbonnam præmisissent.

Sæcul. XVI.
A.C. 1503.

§. XXXVIII.

Induciæ Gallos inter, & Hispanos.

Adversa hæc Gallorum fortuna Occitaniam, atque Aquitanniam Ferdinandi Regis arbitrio exposuit, cujus etiam copiae in utramque Provinciam populabundæ excurrerunt, ingentemque stragem edide-

Mariana Hb
28. n. 23.

Sæcul. XVI. ediderunt, demum Hispani Leucatam, ac
A C 1503. quasdam alias circumvicinas urbes occuparunt, quibus tamen exspoliatis excesserunt. Interea Ferdinandus ad Fridericum de Arragonia Neapolis Regem, qui Andegavi quiete vivebat, quosdam ablegat, qui eum inducerent, ut Gallos inter & Hispanos inducias, quibus utriusque Regni status, excepta Italia ab hostili incursione securi essent, pacisci conaretur, spe facta, eum regno suo rursus potiturum, si Ludovicus hisce consiliis acquiesceret. Ergo Fridericus ad Francorum aulam accedit, comitantibus eum Neapolitanis Nobilibus, qui illum etiam in adversis sequebantur, tantoque rationum pondere inducias persuadent, ut Galliarum Rege eas ratas habente, utrinque ab armis cessaretur. Hunc igitur adeo decantata expeditio, quæ totius Europæ sollicitudinem suspensam tenuit, exitum sortita est, ac denique pactis induciis Rex Catholicus Barcionem revertebatur, prius tamen ex conventorum lege in Franciam Legatos suos ad Ludovicum Galliarum Regem decernebat.

§. XXXIX.

Sæcul. XVI.
A. C. 1503.

*Nuptiæ inter secundo genitum filium,
& viduam Arturi Principem ab
Angliæ Rege conciliatæ.*

Jam nuper memoravimus, quod Arturus Regis Angliæ Filius natu major e vivis ereptus fuisset; percepto autem mortis nuntio Hispaniæ Rex quantocius misso ad Henricum Legato mœrorem de ipsius obitu dolenter testabatur; præcipuum tamen hujus legationis caput erat, ut Walliæ Principissam relictam Arturi viduam unacum dote nimirum centum aureorum millibus repeteret, præter tertiam Principatus Walliæ partem huic viduæ ex bonis Mariti relictam: Cum vero utrumque haud exigui momenti res videretur, atque Henrico vires, aut forte potius voluntas ea reddendi deesset, varias obtendit rationes, ob quas Nurrum suam retinere contenderat, haud ignarus, quod ex hac cum Hispania affinitatis conjunctione illud obsequium, quod Ludovicus XII. profecutus esset, descendere, illumque hoc pacto a prosequendo jure suo, quod illi in Caletum competeat, præpediret. Quapropter Legato respondit, sibi equidem gratissimam esse officiosam doloris significationem, quam ob jacturam filii Rex Catholici

Sæcul. XVI.
A.C. 1503.
cus testatus esset, se vero virtutum splendore, ac animi dotibus, quibus relicta Filii sui natu majoris conjux emereret, adeo captum esse, ut illam Henrico secundo genito desponsare constituisset; hunc enim obeunte Fratrem suo in Walliæ Principem renunciatum, legem vero, quæ hisce nuptiis obstaret, se sperare eo facilius solvendam, cum Arturus Sponsam suam carnali conjunctione nunquam violasset, ut proin nullum aliud obversetur impedimentum, quam quod *publicæ honestatis* appellare solent, illud tamen dissolvi posse, usu ferme quotidiano comprobatum esset.

§. XL.

Regis Catholici consensus in hæc nuptias, præmissa Pontificis dispensatione.

Rex Catholicus hoc responso ad se delato nuptias ratas habuit, ea tamen lege, ut prius a Pontifice legis gratia fieret, cum autem Emanueli Lusitanæ Regi duas sorores ducere facile antea concessum esset, hinc Ferdinandus fiduciam concepit, Julium quoque secundum Alexandro VI. haud severiorem fore, proin eandem gratiam Regiæ Filiæ concessurum. Hac spe freti ambo Reges Anglus, atque Hispanus die vigesima tertia Junii

Junii foedus inierunt, in quo tamen de Saecul. XVI.
A.C. 1503.
conceptis connubii pactis mentio specialis facta non est, sua tamen contulerunt consilia, ut a summo Pontifice concordivoto dispensationem peterent. Ea de re Henricus VII. datis literis Flakstero Equiti Regio Oratori suo negotium dedit, ut juncto Hispaniae Oratoris consilio Julium exoraret, quatenus regias proles impedimenti religione solveret. Summus Pontifex anxiiis animi curis agitatus, aut forte religiosius consuetae normae tenax, Cardinalium, Theologorum, Jurisque Canonici peritorum Congregationem convocavit, atque se praesente discuti praecipit, utrum accedente summi Pontificis dispensatione foeminae liceat successivis nuptiis duos fratres ducere.

§. XLI.

Dispensationis controversia jussu Pontificis discussa.

Primi, qui in consilium adhibebantur, in hanc abierunt sententiam: summus Pontifex nec ex plenitudine potestatis suae, quae in aedificationem, non in destructionem data est, in lege divina dispensare potest, ex lege autem divina prohibetur, ne mulier mortui Mariti sui fratri nubat; quippe Deus Judaeis per Moysen hanc legem tradidit: *Qui duxerit uxorem*

Sæcul. XVI. A.C. 1503. *uxorem fratris sui, rem facit illicitam, turpitudinem fratris sui revelavit. Levitic. cap. 20. v. 21. (*)*. Hoc vero est præceptum morale, quo Christiani æque, ac Judæi adstringuntur, nec Deus alio ex fine nuptias inter proximos propinquos prohibuit, quam ut per exterorum connubia societatis humanæ fœdera multiplicarentur, ac illi, qui nullo vinculo conjuncti essent, unirentur; talis autem finis etiam inter Christianos locum obtinet, hinc in re tanti momenti Ecclesiæ disciplina haud debet relaxari, præcipue cum nulla gravior urgeat necessitas; Europa enim plures Principum Filias numerat, ex quibus Walliæ Principi una facile in Sponsam adjungi poterit.

Hi autem, quibus contraria infedit opinio, Pontificii Juris peritorum sententiæ quidem in eo subscripserunt, arctatam esse Papæ auctoritatem ita, ut in lege, quam Deus populo Hebraico, Moysis ministerio, dedisset, dispensare haud valeret, contendebant tamen, hoc præceptum ad eum restringi casum, quo uxor ex primis nuptiis liberos suscepisset; idem enim, inquiebant, Moyses Deuteronomii

(*) Hæc lex, uxorem ex primi sui Mariti connubio liberos suscepisse supponit, quod tamen præsentis casui minime conveniebat.

nomii cap. 25. v. 5. dixit: Quando habitave- Sæcul. XVI.
 rint fratres simul, & unus ex eis absque A.C. 1503.
 liberis mortuus fuerit, uxor defuncti non nu-
 bet alteri, sed accipiet eam frater ejus, &
 fuscitabit semen fratris sui. Quam pluri- Justin.
 mi autem S. Patres, Justinus, Tertul- quæst. 332.
 lianus, & Theodoretus affirmant, id Euseb. hist.
 ideo fuisse præceptum, ut familiæ sem- l. 1. c. 7.
 per separatæ conservarentur, atque suc- Tertull. de
 cessionum permixtio impediretur, proin- Monogam.
 unio inter fratres arctius firmaretur, & cap. 7.
 defunctorum memoria conservaretur; de- Theod. quæst.
 nique id ipsum etiam factum ex eo est, 32.
 quod sterilitas pro opprobrio, atque in-
 famia, præcipue illo ævo, quo singuli
 se Messiaæ Patrem futurum sperabant,
 haberetur.

Aliunde, subjungebant hi Theologi,
 etsi præsentis quæstionis ratio forte sub
 lege in Leviticorum libro expressa conti-
 neretur, nihilominus hoc præceptum
 ad leges cæremoniales, ac politicas,
 quæ Judaicæ genti propriæ erant, re-
 jiciendum venit; ejusmodi enim legibus
 Deus noluit ceteras nationes obstringi,
 cum gratia Christi advenientis fuisset id
 operata, ut hæ leges abolerentur, quæ
 ante Evangelii promulgationem nonnisi
 Judæos, post Evangelium autem nobis
 annunciatum, neminem obligabant. Idem
 de hac lege ferendum est judicium, ac
 de

Sæcul. XVI. de præcepto itidem divino contra Blasphemos, qua hi morte damnari jubebantur, quin exinde inferri liceat, Superiores, atque Magistratus legem divinam transgressuros, si ejusmodi poenam in illos non decernerent; equidem supremus Princeps in suo regno hanc poenam in Blasphemos sancire potest, ejusque lex æquitati consona foret, non minus quam præceptum in pari casu a Moyse latum, nec tamen propterea legis *divinæ* vim haberet, etsi Deus omnino simile Hebræis præceptum dederit, sed nil nisi lex politica humana foret, proin is, qui talem legem solveret, minime in lege divina dispensasse censendus esset.

Addebant: ejusdem rationis fuit lex, qua uxori prohibebatur, ne fratrem Mariti sui defuncti duceret, hæc equidem lex ab Ecclesia, ut ita dicam, adoptabatur, ipsosque Christianos ligabat; aliter ut est lex Ecclesiastica humana, nec obtinet vim legis *divinæ*; his ergo præmissis extra dubii locum esse ajebant, quod Pontifici data sit legitima in ea dispensandi potestas, imo necessitas exigat, ut in Ecclesia tanta vigeat auctoritas, qua juxta temporis, aut necessitatum rationes legum Canoniarum gratia fieri posset; nulla enim reperitur lex humana, quæ pro omni temporum ratione con-

conveniat, & de qua contingente certo Sæcul. XVI.
 quodam eventu nequeat enunciari, quod A.C. 1503.
 magis e re sit, si illius dispensatio conce-
 datur, quam quod ejus observantia urgea-
 tur, proin necessarius est Superior, cui
 potestas data est, vi cujus condescende-
 re, ac ne quædam leges in certis even-
 tibus, justisque ex causis stringant, per-
 mittere, seu dispensare valeat pro bono
 Ecclesiæ, Regnorum, aut privatorum,
 qui ejusmodi dispensationes petunt. Sum-
 mi ergo Pontificis esse inquebant, quod is
 rationum momenta ab Hispaniæ & An-
 gliæ Regibus allata discutiat, ac diser-
 nat, an veritati ac necessitati nitantur,
 atque statuum suorum bonum respiciant,
 & utrum hujus dispensationis repulsa ma-
 jus inferat damnum, quam ejusdem in-
 dulgentia?

Præter hasce rationes, insuper affir-
 mabant: etsi præfata lex non minus Chri-
 stianos, quam Judæos obstringeret, ne-
 minem tamen latet, hos quoque ab hac
 lege eximi potuisse, si id quarundam pri-
 vatarum familiarum conservatio exegisset.
 certum igitur est, Anglorum Regi a sum-
 mo Pontifice id indulgeri posse, eo quod
 lex, cujus solutio petitur, ipsis quoque
 Judæis persæpe fuerit relaxata, quinimo
 rem penitus inspiciendo, nequidem mo-
 rales Judæorum leges, etiam illis di-
 scipli-

Sæcul. XVI. disciplinae argumentis innixæ, quæ ad-
A.C. 1503. hucdum vigent, Christianos obligant,
 in Blasphemos lata sat indicat. Præte-
 rea non omnia præcepta, quæ vigente
 Hebræorum lege juris divini fuerunt,
 nunc quoque Christianos stringunt, cum
 hi divinæ legis vim in eo duntaxat ag-
 noscant præcepto, quod divini juris vel
 naturalis vel Evangelici est, seu ad quod
 eos ipsum Evangelium adstringi decla-
 rat. Nec Ecclesia auctoritate divina te-
 netur observare jus divinum Mosai-
 cum, illud nempe, quod neque natura-
 le, neque Evangelicum est, nec dicen-
 dum, quod lex, qua uxor duobus fra-
 tribus nubere prohibetur, sit præceptum
 divinum naturale, aut divinum Evange-
 licum; huic enim contraria, moxque lau-
 data Deuteronomii lex opponitur, quam
 etiam Christus Dominus in Evangelio in-
 terrogantibus Saducæis objecit; hæc igi-
 tur Christianos tantum stringit, ut lex
 v. 24. *Et seq.* Ecclesiastica, civilis & humana, proin-
 summus Pontifex in ea dispensare potest,
 ac tale connubium, prævia hac dispen-
 satione, omnino legitimum erit.

Papa Henricum VII. in Gallos concitaturus dispensat.

Horum sententiam ipse quoque Adrianus Cornetanus Cardinalis adoptabat, declarans, in Pontificis arbitrio hanc dispensationem sitam esse, eamque Principum nulli lubentius concedendam, quam Angliæ Regi, cujus erga Ecclesiam Romanam obsequia multiplici argumento comprobata essent, præcipue cum nuperrime non solum copias suas, sed semetipsum Alexandro VI. ad arma turcis inferenda obtulisset: in eandem quoque sententiam ceteri Cardinales abiire, cum que summus Pontifex Gallos ex Italia pellere decrevisset, id vero absque Regis Angliæ auxilio perficere haud posset, eum sibi devincturus, hanc dispensationem concessit, quæ progressu temporis tot tumultuum ac controversiarum fomes exstitit: Julius autem hac indulgentia potissimum intentus erat, ut foedus contra Franciæ Regem, cui insensissimus erat, firmaret, minime mente prospiciens, quod hac sua benevolentia, qua in Anglia Sedis Apostolicæ auctoritatem corroborare conabatur, eandem post aliquot annos ibi omnino everfurus esset. Igitur Rex Catholicus filiam suam civili Regis Angliæ

Hist. Eccles. Tom. XXXI. Kk pru-

Sæcl. XVI. prudentiæ litabat, suæque assensu nu-
A.C. 1503. ptias cum recens nominato Walliæ Prin-
 cipe ratas habebat, eas celebrandi op-
 portunitate Henrici VII. arbitrio penitus
 relicta (*).

§. XLIII.

(*) *Raynaldus Odoricus, Spondanus, Pag-
 gius, Ciacconius, Bzovius, Graveson, Pala-
 tius, Natalis Alexander, aliique omnes Scri-
 ptores Catholici testantur, Julium II. juris hu-
 mani, quod unum obstabat, vinculum solviffe
 de Theologorum & Jurisperitorum doctissimo-
 rum consilio, nullus vero affirmat, id ex odio
 Pontificis in Galliarum Regem fuisse factum,
 ideo hoc absque ullo teste gratis asseritur. ita
 Lector Catholicus huc temere censere poterit, id
 eo duntaxat consilio relatum fuisse, ut ad vin-
 dicandam Henrici VIII. apostasiam, ac solvo-
 randum legitime uxoris suæ repudium quasi
 præliminaria præmitterentur: Num vero, quæ
 legitime fieri peterant, atque ex doctissimorum
 Virorum sententia jure facta sunt, causa dici
 possunt eorum, quæ occasione inde quæsitæ ex
 aliorum perversitate processerunt? Num unius
 testis scilicet Varhami depositio ambigua, in-
 certa, ac tum confutata prævalere debuisset
 communi ceterorum judicio atque testimonio?*

§. XLIII.

Angliæ Episcoporum dissensio de valore dispensationis.

Sæcul. XVI.
A.C. 1503.

Nihilominus de hoc dispensandi jure non eadem erat Angliæ Episcoporum opinio; contendebat enim Warhamus Cantuariensis Archiepiscopus, primas nuptias conjugali usu perfectas fuisse, idque haud obscure ab ipso Arturo Principe fuisse indicatum in quodam colloquio, quod altera post nuptias die cum suis Ministris habuisset; unde etiam factum, ut Regis Catholici Legatus jussu Domini sui scriptum consummati matrimonii testimonium confecisset, illudque in Hispaniam transmisisset. Foxius vero Viacomienfis Episcopus, intactam relinquens quæstionem de nubii usu, contendebat, Pontificis dispensatione cuncta ista dubia tolli, obstacula dirimi, atque os obstrui cunctis, qui hisce nuptiis oblucentur; non impetrata autem Papæ venia rem esse controversam, ac propter successionis jura tumultibus obnoxiam.

Vide depositionem Warhami in Historia Henrici VIII. ab Herberto scripta.

§. XLIV.

Pontificiæ dispensationis diploma.

Insuperhabita opinionum varietate Julius dispensationis diploma edidit die *Apud Rayn. an. 1503. n. 22.*
vige-

K k 2

Sæcul. XVI. vigesima sexta Decembris hoc anno da-
 A.C. 1503. tum, sequentis tenoris: Oblata nobis
 pro parte vestra petitionis series continebat,
 quod cum alias tu filia Catharina, & tunc
 in humanis agens quondam Arturus matri-
 monium legitime per verba de præsentis con-
 traxissetis illudque carnali copula forsan
 consummavissetis, Arturus prole ex hu-
 jusmodi matrimonio non suscepta decessit,
 cum autem, ut hujusmodi vinculum pacis &
 amicitiae inter Hispaniæ & Angliæ Reges
 & Reginam diutius permaneat, cupiatis
 matrimonium inter vos per verba legitime
 de præsentis contrahere, supplicare nobis fe-
 cistis, ut vobis in præmissis de opportuna
 dispensationis gratia providere dignaremur.
 Nos igitur, prosequitur Papa, qui inter
 Catholicos Reges & Principes pacis & con-
 cordiæ amantissimam vigere intentis desideriis
 affectamus, vos a quibuscunque censuris
 absolutos fore censentes, vobisque ut impedi-
 mento affinitatis ex præmissis proveniente,
 ac Constitutionibus, & Ordinationibus A-
 postolicis, ceterisque contrariis nequaquam
 obstantibus, matrimonium per verba legiti-
 me de præsentis inter vos contrahere, & in
 eo, postquam contractum fuerit, & si jam
 forsan hæcenus de facto publice aut clandestine
 contraxeritis, ac illud carnali copula con-
 summaveritis, licite remanere valeatis, au-
 thoritate Apostolica de speciali dono gratiæ
 dispensamus. Volumus autem, quod si hu-
 jusmo-

jusmodi matrimonium de facto contraxistis, Secul. XVI.
Confessor vester pœnitentiam salutarem pro-
pterea vobis injungat, quam adimplere te-
neamini. Ergo Henricus obtento diplo-
mate cum Catharina de Arragonia de-
sponsatur, quam tamen nonnisi post ali-
quot annos connubio sibi copulavit.

A.C. 1503.

§. XLV.

*Petri Albusonii supremi Rhodiorum
Magistri obitus.*

Hoc anno die tertia Julii fatis functus *Bosius hist.*
 est Petrus Albusonius, trigessimus *Ord. R. Jerosol.*
 nonus Jerosolymitanorum Equitum su- *ann. Jerosolym.*
 premus Magister, annos natus octogin- *Raynald. hoc*
 ta & amplius. Is militari huic Ordini *an. n. 25.*
 viginti septem ferme annos præfuerat, *P. Bouhours*
 jam enim anno Domini millesimo qua- *in Hist. Al-*
 dringentesimo septuagesimo sexto Joan- *buss.*
 ni Baptistæ ab Ursinis in magisterio sub-
 rogabatur. Vir erat communi omnium
 Scriptorum testimonio inter ceteros Or-
 dinis sui Magistros longe celeberrimus,
 ejusque præclara, totique Religioni uti-
 lissima facinora nulla ætas conticescet,
 ob crebras tamen Alexandri VI. vexa-
 tiones, qui Equitum jura, ac spectatissi-
 ma quæque privilegia passim violabat,
 gravi mærore conficiebatur, & cum inter-
 positæ ejus de tanta injustitia querelæ
 nil proficerent, in tam gravem morbum

K k 3

de-

Sæcul. XVI.
A C. 1502.

delapsus est, ut desperata Medicorum ope ex hac vita decedere compelleretur. In primo post ejus obitum capitulo sancitum, sepulcrum ejus eleganti arte elaboratum esse ponendum, cui reportati ab eo triumphi, gesta que insculperentur. Successorem habuit Emericum de Ambasia, qui Cardinalis eodem cognomine insigniti Frater, ac supremus Franciæ Prior erat. Hic die decima Julii electus, cum absens esset, nonnisi anno sequenti millesimo quingentesimo quarto Rhodum solemniter pompa ingressus est, eoque Autore instituta est anno salutis millesimo quingentesimo sexto solemniter supplicatio, quæ pro Ordinis conservatione, atque incremento singulis feriis sextis celebrari solet.

§. XLVI.

Michaelii Cardinalis extrema.

Bembo hist.
Ven. lib. 6
Ugel Ital.
sacr.

Onuphr. in
Innoc VIII.
Et Paul. II.
Aubery hist.
Cardin.

Paucis ante mensibus die decima Aprilis Joannes Michaelius Cardinalis vivis ereptus, & Romæ in Ecclesia S. Marcelli, ubi ejus sepulchralis inscriptio legitur, sepultus est. Rumor erat, illum veneno periisse, quod eidem unus ex suis famulis propinasset: Referunt alii, hunc famulum ab Alexandro VI., qui Cardinalium opibus inhiabat, auro corruptum fuisse, sed veneni vi remissius,

ac Alexander optasset, sese diffundente, tam amplum Cardinali relictum esse temporis spacium, ut conditis testamenti tabulis pretiosiora quæque, ingentemque pecuniarum summam Patavinæ, ac Veronensi Ecclesiis legare possit: (*) Famulum vero, regnante Julio II., crimen confessum capitali sententia damnatum fuisse inquirunt. Ceterum Michaelius patria

Sæcul. XVI.
A. C. 1503.

K k 4

(*) Hæc de Alexandro VI. Continuator, ejus rei sponsores allegat, Bembum, Ugelinum, Onuphrium, & Auberyum, cum tamen Onuphrius non nisi in vita Alexandri VI. scribat. Joannes Michael veneno clam extinctus est, quo auctore tacet. Georgius vero Eggs Purpuræ doctæ Scriptor, qui Bembum, Auberyum atque Onuphrium citat, disertis verbis affirmat, eundem Cardinalem infidiis, ac suastu Cæsaris Valentini Borgiae in Molem Hadrianam conjectum, veneno paulo post ab eodem Borgia porrecto misere periisse. Ita nempe in illos Pontifices, quorum vita nonnullis criminibus deformata est, impune quævis scelera conjiciunt quidam Scriptores, eo consilio, ut nullum flagitium fingi posse ab aliis crederetur, quo illi sese non contaminaverint: Tanta autem calumniandi libido in Heterodoxis ob innatum in summos Pontifices odium contemptu prætereunda foret, in Scriptore autem, qui Catholicus censeretur, minime toleranda.

Sæcul XVI.
A.C. 1503

tria Venetus, ex sorore Pauli II. Pontificis Nepos erat, qui ab eodem Prototarii Apostolici dignitate decoratus, demum anno Domini millesimo quadringentesimo sexagesimo octavo Cardinalium collegio adscriptus est, subin Patriarcha Constantinopolitanus, ac Patavii, & Veronæ Antistes renunciatus. Progressu temporis ab Innocentio VIII. summo Pontifice Legatus nominatur illius exercitus, quem idem Papa contra Ferdinandum Neapolis Regem decreverat, ejusque imperium Roberto Sanseverinati commiserat, cum vero Robertus bellum diutius protrahere intentus esset, Michaelius admirabili dexteritate sua pacem compositis contendentium animis feliciter toti Italiæ invexit.

§. XLVII.

Mors Cardinalis Cibo.

Volaterran.
lib. 22.
Onaph. Cia-
son. & Vi-
lori.

Currente eodem anno die vigesima secunda Decembris luxit Cardinalium Collegium Laurentium Cibo, Innocentio VIII. sanguine junctum, a quo semper maximi habitus, purpura decoratus est. Vir erat scientiarum laude, morum integritate, ac animi moderatione adeo conspicuus, ut omnium, qui ejus familiaritate, ac consortio utebantur, amorem in se unum raperet, illum tamen
Alexan-

Alexander, cui viri probitas inimica erat, Sæcul. XVI.
A. C. 1503.
semper infectatus est, imo cum purpura
illum privare proposuisset, Laurentius
dolore perculsus, adeo ingenti ægritu-
dine correptus languit, ut a die, quo
hisce minis territus fuerat, misere vi-
tam trahens, demum morte occubue-
rit. Adeo nempe dignitatum amor mor-
taliū animos terræ affigit. Hunc Car-
dinalē ex inçæstuofo complexu natum
fuisse, nullatenus concordi Scriptorum
testimonio comprobatur, nec tamen alie-
num propterea vitium proprio ejusdem
merito quicquam derogaret, longe au-
tem magis veritati accedit, illum ex Do-
minico Mari Nobili Genuensi fuisse pro-
genitum, cujus Amita Innocentii VIII.
Mater erat.

§. XLVIII.

Borgia Cardinalis obitus.

Denique ad eundem annum, diēque *Onuphr. in
Alexan. VI.*
primam Augusti revocatur obitus
Cardinalis Borgiae, qui erat Alexandri
VI. Nepos. Is Protonotarii, ac litera-
rum Apostolicarum correctoris officio
functus, obtentoque Montis Regalis in
Sicilia Episcopatu anno Incarnationis
millesimo quadringentesimo nonagesimo
secundo a Patruo suo Purpuratorum Col-
legio adscriptus est, postea ab eodem
Episco-

K k 5

Sæcul. XVI. A.C. 1503. Episcopus Olomuci in Moravia renunciatus; his addit Ciaconius, eundem administrasse Ecclesias plures, *Bajocensem, Lombariensem, Ferrariensem, ac Cauriensem in Hispania.* Imo etiam illum Patriarchæ Constantinopolitani titulo fuisse decoratum ait. Ejus quoque industria ad gravissima Ecclesiæ negotia seligebatur, ac Legatus ad Neapolis regnum mittebatur, ut Alphonso II. Regni investituram concederet. Intererat quoque anno Domini millesimo quadringentesimo nonagesimo quarto nuptiis, quas Godefridus Borgia Alexandri filius cum Sanchesia Arragoniæ Regis filia contraxerat. Præterea ad Carolum VIII. in Italiam euntem, mandante Papa, ac Cardinalium Collegio Braccianum usque obvians processit, ut inter Pontificem & Regem pacis fœdera firmaret. Postea idem solitariam vitam agere compellebatur, ne Cæsarem Borgiam Alexandri filium offenderet, qui usque adeo auctoritatis suæ tenax erat, ut nullum omnino consortem admitteret. Sub idem quoque tempus vivis ereptus est Casimirus Regis Poloniæ filius Cracoviensis Episcopus, pariterque Cardinalis.

§. XLIX.

Sæcul. XV.
A.C 1503.

*Galli prope Garilianum a Con-
salvo cæsi.*

Interea Galli subigendo Neapolis Regno totis viribus incumbebant; illud enim regnum nuperis induciarum legibus haud comprehendebatur, quare cum Trimolius ex gravi, diuturnoque morbo Mediolani decumberet, Marchio Mantuanus illius vices agere jussus est: hic ergo copias suas Garilianum flumen, quod prisca Lirin nuncupabant, trajicere jussit, Consalvo necquidquam transitum prohibente, qui tamen, postquam non nisi quinque Gallorum millia fluvium superassent, hostem aggressus est. Ingens erat utrinque dimicantium pertinacia, primi tamen pedem referebant Galli, eorum quam plurimis, qua cæsis, qua flumine submersis. In secretæ cum Hispanis conjurationis suspicionem adducebatur Marchio Mantuanus, ejusque prodicione Gallos flumen trajicere jussos divulgatum: unde Marchio tantam calumniam vehementer indignatus, renunciatum exercitus imperio, ad terras suas sese recepit: Galli vero haud expectato Regis sui mandato, Saluciarum Marchioni, qui obeunte Nemosio Duce Pro-Rex Neapolis salutatus est, belli administrandi sum-

Marian. lib.

28. n. 28.

Sabellic. Hist.

11. lib. 2.

Sæcul. XVI. summam commiserunt, inde vero inter Bel-
 A. C. 1503. liduces gravis exorta est animorum dissen-
 sio, quam Consalvus in rem suam ver-
 tens, peropportunum occupavit locum,
 quem Galli Neapolin ituri, pertransire
 omnino compellebantur; ast hyemis ri-
 gore acrius impendente, Saluciarum
 Marchio copias promovere inconsultum
 judicabat, nihilominus eorum, quibus
 commeatum subministrare incumberebat,
 culpa ad tantas redigebatur angustias,
 ut annona jam tertio die ferme omni con-
 sumpta, cum alia nullo pacto advehi pos-
 set, exercitum aut mors aut signorum
 defectio potissimam partem imminuit.
 Equidem haud diuturna erat hæc Gal-
 lorum calamitas, nihilominus jamjam
 exercitus erat numero, & animo fractus,
 nec suppetiarum spes affulserat: ex ad-
 verso Consalvi copiæ indies auctæ jam
 viribus pares erant, ut Gallos ad præ-
 lium provocarent: igitur die vigesima
 tertia Decembris Consalvus nonnisi bis
 mille peditum, ac quadringentos Ger-
 manos secum ducens, Garilianum flu-
 vium trajicit, & ceteros Gallorum muni-
 mentum, pontemque aggredi jussit. Ve-
 rum hi, cum Hispanorum impetus susti-
 nendo ferme impares essent, terga ho-
 stibus vertebant, quos Consalvus strenue
 infecutus, totum Gallorum exercitum
 pro-

profligavit, atque exiguo temporis spa- Sæcul. XVI.
tio penitus fudit. A. C. 1504.

§. L.

Cajeta a Consalvo capta.

Consalvus hac victoria inclytus, cum *Marian, lib.*
Galli necdum ob acceptam cladem 28. n. 35.
linquentem animum revocassent, die pri-
ma Januarii victricia arma Cajetam versus
protendit, moxque exteriora urbis propug-
nacula occupavit, nemine obsistere auso;
quoniam vero urbis mœnia tormentis
olim quassata, cum primo urbem obse-
disset, necdum a Gallis refecta essent,
Consalvus ruinæ hujus subsidio adjutus,
primo Orlandum montem cinxit, ac sele-
ctioris militiæ Hispanis irruptionem fa-
cientibus, urbem expugnavit. Galli me-
tu pene exanimati ægre admodum, tur-
matimque in urbem sese recipiendi spa-
cium habebant; mox enim Consalvus
Saluciarum Marchionem ad deditionem
provocavit, qui eodem adhuc die Victo-
ris mandato paruit, ac nocte sequenti tres
omnino Deputatos, nempe Divionensem
Prætozem, Sancolumbum, & Theodorum
Trivultium ad Consalvum ablegavit, ut
hi deditionis pacta instruerent, ubi ali-
quamdiu ultro citroque disceptatum est;
Consalvus enim quosdam Neapolitanos
captivos, præcipue Bitunti Marchionem,
Mat-

Sæcul. XVI. Matthæum de Aquaviva, & Alphonsum Sanseverinatem Principis Bisignani **A.C. 1504.** Patruelem libertati restituere recusabat, caussatus, illos esse seditionis crimini obnoxios, hujus autem sceleris cognitionem, atque poenam Regi Catholico reservatam esse, testaturque Mariana, Gallos in hoc articulo Consalvi imperio cedere compulsos.

*Marian. ib.
Guicc. l. 6.
Paul. Jov.
in elog.*

Tandem ergo ineunte Januario deditionis leges conclusæ, atque utrinque firmatæ sunt, perscriptis hunc in modum conditionibus: I. Albinus, ceterique omnes Galli jure belli capti in libertatem asserantur. II. Neapolitani capti nec morte plectantur, nec de eorum fato decidatur, donec Galliarum Rex missis in Hispaniam legatis, hisce Proceribus veniam, ac præteritorum oblivionem impetrasset. III. Præsidarii urbe excedant unacum armis, sarcinis, ceterisque militaris honoris insignibus, ipsisque liberum sit, terra vel mari pro eorum arbitrio e Neapolis Regno exire. IV. Incolis integrum sit in civitate morari, nec ipsis, nec eorum bonis ulla inferatur molestia, suisque privilegiis ac juribus, ut olim ante bellum, frui permittantur: cum vero articulus de Neapolitanis captivis Consalvo non satis perspicuus videretur, ipse hac verborum ambiguitate usus

usus illos detinuit, captosque Neapolin Sæcul. XVI.
A.C. 1504.
abduci, ibique in Castro novo includi
jussit, quæ cavillatio æquitati haud in-
nixa, ac tam strenuo Belliduce prorsus
indigna fuit. Eidem quoque crimini da-
batur, quod præcipiti nimium consilio
Gallis deditiois pacta indulisset; enim-
vero, si moram traxisset, Gallorum re-
bus pessime constitutis, facile eos com-
pelle potuisset, ut iniquissimas etiam
conditiones pro ejus arbitrio illis impo-
nendas acceptarent.

§. LI.

*Galli ex Italia pulsi, in reditu ferme
omnes mortui.*

Postea deditiois legibus utrinque fir- Marian. 116.
28. n. 36.
matis, qui maritimo itinere in Gal-
lias redire jubebantur, navigia in portu
fluctuantia conscendebant, quos inter
Albius cum ducentis militibus numera-
batur, ceteri terra revertebantur, secu-
ritatis literis fide dignissimis muniti; ast
potissimi eorum itineris laboribus ac mi-
seriis consumpti expirarunt, qui vero per
mare navigabant, vario morborum ge-
nere obruti, atque in Provinciam appulsi,
ferme omnes perierunt: Salutiarum etiam
Marchio Genuæ decessit; Sandricurtius
vero, necnon Divionensis & Montanæ
in Burgundia ditionis Prætores eadem
mortis

Secul. XVI. A.C. 1504. mortis invidia sublatis sunt, verbo, quotquot in hoc bello dimicabant, adeo debilis, imo penitus corruptæ valetudinis erant, ut ferme omnes anno necdum evoluto misere extincti fuerint. Gallorum ex Italia ejectorum ignominia, eorumque miseranda morte Ludovicus XII. tantopere affligebatur, ut plures dies sine ullius hominis alloquio transigeret; post hæc vero nonnulli primæ nobilitatis Ministri amissa Regis gratia aula exulare jussi sunt; Heruetius quoque Regii exercitus Questor, quod Rex in eum totam infelicitatis suæ culpam coniecisset, capitali supplicio mulctatur, ac Ludovici jussu edictum promulgatur, quo se deinceps nullius Locum-Tenentis opera usurum, sed semetipsum copiis suis imperaturum, declarabat.

§. LII.

Totum Neapolis Regnum a Consalvo subactum.

Marian. ib.
num. 38.

Consalvus expugnatae Cajetæ gloria illustris, urbis Imperium Ludovico de Herrera detulit, totusque in eo fuit, ut continuato victoriarum cursu universum Neapolis Regnum armis suis subiceret. Jam Bituntini Marchionis arces, urbesque, necnon Ludovici Arfii, & Capachoni Comitum, qui Laurini sese include-

cluserat, oppida Victoris arbitrio cedere-
 bant: Ravereus quoque summi Pontifi-
 cis Nepos, qui nonnullas expugnaverat
 civitates, in omnibus suo imperio sub-
 ditis urbibus Hispanorum vexilla festive
 erigi jussit. Demum Consalvus Hispani
 exercitus Dux hisce victoriis necdum sa-
 tur, Neapolin contendit, urbemque Vi-
 ctor ingreditur, ac in fortitudinis, atque
 obsequii præmium Alviano ex Bisignani
 Principatus redditibus annuam octo mil-
 lium Ducatorum pensionem constituit:
 hac tamen liberalitate Columnensium in-
 vidiam in se provocabat, qui nil intentatum
 relinquebant, ut inclyti hujus Ducis
 honorem, ac gratiam apud Hispaniæ
 Regem diminuerent, valuitque succes-
 sus; quamvis enim Consalvus ex Italia
 excedere jussus non fuisset, ejus tamen
 auctoritas arctissimis limitibus constrin-
 gebatur.

§. LIII.

*Romandiolæ urbes a Valentini Duce
 summo Pontifici traditæ.*

Desperatas Gallorum res in Italia Va-
 lentini Ducis exitum continenti ruina^{n. 47.}
 sequebatur, nam hic summo Pontifici ser-
 vare cogebatur pollicitationem, qua Ce-
 senæ Gubernator spondit, quod ad il-
 lius nutum urbem Alexandro quantocius
 Hist. Eccles. Tom. XXXI. L1 red-

Sæcul. XVI.
 A.C. 1504

Sæcul. XVI. reddere velit : nec minus ea tunc erat
A.C. 1504. rerum vicissitudo, ut Papa Ducem brevi
 ceteras quoque civitates restitutum merito sperare posset: Dux enim in arce S. Angeli inclusus, anxiiis votis libertatem exoptabat, cujus amore victus ultro Pontifici obtulit, se cunctas urbes, quibus Gubernatores præfecisset, Sedi Apostolicæ reddendum; Pontifex vero vicissim Duci spondit, quod Romandiolæ oppidis Ecclesiæ Patrimonia restitutis, ejus libertati plene cautum foret, hancque in rem Papa sanctiorem Patrum Senatum coegit, in quo Cardinales unanimi suffragio in summi Pontificis sententiam descendunt: cum vero Julio haud incognita esset subdola, ac versuta Ducis indoles, non plena eidem concessa est libertas, sed Roma quidem excedens, Ostiam contendere permittebatur, sub vigili tamen Cardinalis Carvajali custodia detinendus, usque dum pacti fides penitus exsolvisset. Nec inanis erat summi Pontificis cautela, quippe Gubernatores cum brevi rerum faciem mutari sperarent, urbes reddere recusabant: ipse quoque Valentini Dux clam in Franciam sese recipere statuit; ast Hispanorum, quorum potestati subjectus erat, solertiam fallere non poterat, cum vigili eum oculo semper custodirent: unde Carvajali dexteritate, ac blanditiis captus,

ptus, se Consalvi arbitrio relinquere de- Sæcul. XVI.
 crevit, spe fretus, rebus suis apud Hi- A C. 1504.
 spanos longe melius, quam inter Gallos consultum iri.

§. LIV.

Dux captivus a Consalvo in Hispaniam missus.

Ergo Valentini Dux misso Oratore Con- Marian.
 salvum obtestatur, ut triremes ei sub- n. 48. & 49.
 mitteret, quibus conscensis Neapolin fu-
 gere possit. Scriptorum nonnulli, id
 consentiente, alii vero, penitus inscio
 Pontifice factum fuisse referunt. Utut
 res se habuerit, Consalvus quantocius
 tres triremes Ostiam procurrere jubet,
 quas quidem Dux conscendit, nec tamen
 inde sortem suam, sed duntaxat carce-
 rem permutavit, quippe adversus Hispan-
 nam clandestina concoquens consilia, ar-
 cem Foroliviensem, quæ nondum Pon-
 tifici reddita erat, retinere, ac Plumbi-
 num, Perusium & Pisas sibi subjicere mo-
 liebatur; quapropter Consalvus cuncta
 ejus consilia evertens, excubitorum nu-
 merum auxit, illumque fugam meditari
 edoctus, Neapoli eum comprehendi, at-
 que in Castro novo includi præcepit, nec
 tamen Papa defuit, quominus Consal-
 vum summis præcibus urgeret, ut Ducem
 Ostiam remissum rursus ipsius potestati
 tra-

Sæcul. XVI. traderet, caussatus, Ducis milites nec-
A.C. 1504. dum ex arce Forolivienſi deceſſiſſe: ve-
 rum non plus Papæ precibus datum,
 niſi quod Forolivii Gubernator arcem ſum-
 mo Pontifici reddere juberetur: itaque
 Conſalvus Ducem ciendis turbis unice
 aſſuetum, ab Italiæ finibus remoturus,
 in Hiſpaniam miſit, ductore Antonio
 Cardonio, qui eum perpetuo carcere
 plectendum ad Catabenſem arcem relega-
 vit: quamvis autem genii adeo turbulenti
 Principem captum tenere, publicæ quie-
 tis ratio ſuaderet, nihilominus Hiſpaniæ
 Rex Conſalvi Belliducis ſui agendi ratio-
 nem ſaltem ſpecietenus arguebat, læti-
 tiam, quam inde re ipſa concipiebat,
 exterius diſſimulans: Rex vero Gallia-
 rum hanc rem permoleſte tulit, rebus
 ſuis Ducis operam haud parum proſi-
 cuam fore ratus, ſi forte, ut animo
 conſtituerat, denuo arma Italiæ illatu-
 rus eſſet.

§. LV.

*Induciæ Ferdinandi cum Gallis ce-
 ptioſo quodam articulo infectæ.*

Maria. l. 28. **H**oc interim ſpatio Grailla, & Anto-
n. 42. nius Auguſtinus Regis Catholici in
 Francia Oratores ad triennium cum Gal-
 lis inducias ineunt, firmantque, ea le-
 ge, ut Neapolis Regnum iis minime com-
 pre-

prehenderetur. Inde tot consilia non minus Consalvo gloriosa, quam Hispanis proficua uno ictu penitus evertabantur: Nihilominus Rex Catholicus Majoradæ, ubi tum agebat, exuente mense Januario has inducias ratas habebat; iis tamen captiosus inferebatur articulus, quo Ferdinandus ad firmandam in Neapolis Regno auctoritatem suam, atque ad Gallos inde penitus arcendos semper expeditam sibi viam parabat. Hoc articulo conventum: „ Per universam Europam „ Gallos inter & Hispanos armorum induciæ promulgentur, comprehendatur etiam in eo foedere Neapolis Regnum, in quo tamen solo nullum inter „ utramque Nationem commercium exerceatur. „ Porro hunc articulum Hispani hoc modo interpretabantur, quod non nisi de Mercatoribus Gallis, qui per universum mare mercaturam agunt, intelligendus sit, & hisce facultas concedatur, ut sub commercii obtentu milites advenire, eosque in Neapolis oras exponere possent: Ferdinandus vero hoc verbum *commercii* ad quodcunque mutuæ societatis genus extendebat.

Sæcal. XVI.
A.C. 1504.

Sæcul. XVI.
A.C. 1504.

§. LVI.

*Reliquæ quinque Gallorum urbes a
Consalvo occupatæ.*

Necdum tamen satiata erat vincendi cupiditas, qua Consalvus flagrabat, eo quod Galli adhucdum in Neapolis Regno quinque urbes possiderent; verum eas expugnandi non adeo expedita offerebatur opportunitas; Hispani enim retardata stipendiorum solutione seditionem moliti, sibi metipsis Duces elegerant, hinc ipse Consalvus hac perfidia graviter commotus, in morbum incidit, aliunde vero pactis utrinque induciis ab hostilibus armis cessandum videbatur; Nihilominus Consalvi animus cunctis hisce obstaculis longe superior evasit, cum ipsa quoque præfati articuli ambiguitas ambitioni, atque Hispanorum fallaciæ egregie deserviret. (*) Hi enim contendebant, articulum, quo mutuuum inter utramque Nationem commercium interdiceretur, obstare, ne quinque illis urbibus annonæ, ac cetera vitæ subsidia advenherentur: Consalvus igitur hoc præter-

(*) Observandum, induciarum legibus servitum fuisse: in illis Neapolis Regnum etiam comprehendi. §. LV. perparam ergo fracta se dei insimulantur Hispani.

tu munitus milites suos, quibus effusa manu stipendia numerabat, hisce urbibus admovit, easque undique cingi præcepit, & Ludovico Arsiæ urbis Præfesto induciarum leges violatas querenti, responderunt Hispani, tam amplam esse verbi *Commercii* significationem, ut salva pacti fide vel unicam frumenti granum, aut frigidæ haustum in urbem inferri jure prohiberent. Illico Ludovicus se delusum cognoverat, unde omnium auxilii spe destitutus, cum suis copiis sonantibus tympanis, expansisque vexillis urbe excessit, eoque militari honore potitus, totam hostium Regionem emensus est, donec tandem terrestri itinere in Franciam rediret, ubi a Rege perbenigne excipiebatur. Interea Galli ceterarum urbium Gubernatores non parum dolebant, quod Arsiæ exemplum secuti non fuissent; quippe ipsi famis violentia ferme exanimati, civitatibus exire compellebantur, & insuper quamvis eorum, rerumque suarum luctuosissima esset conditio, nihilominus a viarum grassatoribus, atque rusticis una omnes funditus trucidabantur. Ludovicus comperta hac fraude Hispaniæ Legatos ad se venire jussit, coram eis graviter de Ferdinandi eorum Domini iniquitate questus, unde totus in eo erat, ut suorum cladem ulcisceretur.

Sæcul. XVI.
A.C. 1504.

Marian. ib.

Sæcul. XVI.
A. C. 1504.

§. LVII.

*Ludovici Regis vindicta in Regem
Catholicum.*

Marian. lib.
28. n. 55.

Verum, ut vindicandi proposito suus colluderet successus, consultissimum fore censebat, si animo statutam cum Imperatore, ejusque filio Archiduce concordiam iniret, Regem vero Catholicum vana pacis fiducia falleret; quapropter rei gerendæ negotium Cardinali de Ambasia mandat, interea vero continuo de concordie legibus cum Hispaniæ Legatis agere præcepit, eisque, ut animi sui propositum cautius tegeter, alterius pacis articulos proposuit, Regemque Catholicum de illis edoceri, atque Oratores novi mandati literis muniri iussit. Annuere Ferdinandus, & Isabella non sine ingentis gaudii significatione, jamque articuli in deliberationem veniunt, quorum primus nuptias offerebat inter filium natu majorem Friderici Neapolitani Regis, & Ferdinandi junioris Viduam, adjecta etiam pollicitatione, qua Fridericus filio suo regium diadema cessurus esset: ast dum hæc interea agitantur, Pisani, qui Gallorum armis potissimam libertatis suæ partem debebant, iis relicto sese Hispanorum præsidio, ac tutelæ commiserunt. Hoc nuncio pacis delibe-
ratio

ratio non solum eversa, sed etiam Ludovicus tam impotenti ira commotus est, ut e vestigio Hispaniæ Oratores aula exulare, ac sine moræ dispendio regno excedere juberet. Ergo quantocius omne commercii genus Hispanis fuit interdictum, nec plus Legatorum precibus datum, nisi quod ante suum discessum Reginam, ac Fridericum salutare possent, unde die vigesima sexta Augusti in patriam suam reversi sunt. Ergo Pisanorum defectio primus erat obtentus, quo Rex Legatorum dimissionem æquam reddere nitebatur, cujus tamen genuina, eaque secreta causa erat, quod pacem cum Imperatore stabillendi propositum concepisset.

Secul. XVI.
A.C. 1504.

§. LVIII.

Fœdus inter Imperatorem, Archiducem Austriae, & Franciæ Regem.

Hispaniæ Oratoribus vix Bleso egressis, Maximiliani, atque Archiducis Legati advenerunt: Protinus igitur consultationibus datum est initium, quibus Finarii Marchio nomine Pontificis, & Petrus Fillolus Sisteronensis Episcopus ejusdem internuncius interfuere. Ibi sublatis omnibus obstaculis, quæ Mediolanensis Ducatus investituram Ludovico

Marian. ib. n. 56
Recueil des traittez de paix tom. 2. Raynald. hoc ann. n. 1. Et 22. Spond. ib. n. 2. Guicc. l. 6.

L 1 5

XII.

Sæcul XVI XII.

A.C. 1504

*Bonaccurs.
in Diario.*

concedendam, necnon nuptias Clau-
diæ Principissæ cum Carolo Lucem-
burgico morabantur, die vigesima secun-
da Septembris Blesi armorum societas
inter Cæsarem, Archiducem, & Gallia-
rum Regem inita, atque firmata est, cu-
jus præcipui erant articuli. I. Impera-
tor nullatenus Mediolani Ducatum inva-
dat, aut Italiæ Principes Gallis addictos
molestet. II. His, eorumque vassallis,
atque amicis plena præteritorum oblivio
concedatur. III. Triduo post firmatum
hoc foedus spondeat Cæsar, se Galliarum
Regi, ejusque liberis maribus, aut iis
deficientibus filiæ ipsius natu majori,
simulque Luxemburgico Duci Mediola-
nensis imperii diploma concessarum, si
vero Claudia fors prius fatis fungeretur,
tunc Ducatus ad Filiam Regis natu
minorem, quam Dux Claudiæ loco du-
ceret, transferatur, idemque servetur, si
forte Carolus moreretur; tunc enim Fer-
dinandus ejusdem filius secundo genitus
sibi Claudiam sociaret, Rex vero pro
diplomate Cæsari ducenta librarum Gal-
licarum millia numeret, quæ tamen, si
Princeps ac Principissa nulla suscepta pro-
le e vivis excederent, restituantur. IV.
Nullum concordie colloquium circa rem
inter eos controversam Rex Franciæ
cum Hispanis ineat, nec absque Cæsaris
consensu ullum foedus firmet. Si ve-
ro

Sæcul. XVI.
A C. 1504.

ro Rex Catholicus æquas, atque honestas condiciones acceptare renueret, Imperator ad recuperandum Neapolis Regnum Galliarum Regi necessaria suppeditet auxilia. V. Spondeat Ludovicus Rex, se Ludovici Sfortiæ Filiis, si in regno morari cupiant, ditiones quasdam, atque pensiones in Francia daturum. VI. Cunctis rebellibus, ac e Mediolanensi Ducatu proscriptis omnium injuriarum venia ac gratia concedatur, eisque Rex reconciliatus cuncta illorum bona restituat. VII. Regi Catholico, si velit, infra quatuor menses foederi accedere integrum sit, cunctis tamen in Neapolis regnum juribus, in Carolum Lucemburgicum Nepotem suum transferendis cedat, sub conditionibus toties propositis, totiesque rejectis. VIII. Singuli tres Confederati Principes trimestri nondum evoluto ceteros Principes, quos foedere comprehendere cupiunt, nominare teneantur, cujus Sponsores sint Principes, & S. R. I. Electores. Præter hosce articulos plures adhuc alii sanciebantur admodum prolixi, minoris tamen momenti, unde illos haud recensendos judicavimus.

§. LIX.

Friderici Neapolitani Regis obitus.

Hoc foedere a Galliarum Regno Mediolani.

Marian. Kb. 28. n. 59.

Sæcul. XVI. diolanensis Ducatus, Genuensium ditio,
 A C 1504. Burgundiæ, & Britanniæ Ducatus una-
 cum Blesensi Comitatu sejungebantur, un-
 de cum hoc foedus Gallorum rebus haud
 adeo proficuum crederetur, Galliarum
 Regem hos articulos nullatenus execu-
 turum suspicabantur omnes, nec eos sua
 fefellit opinio; quippe pactorum fidem
 nequaquam exsolvit, violatæ fidei præ-
 textum captans ex obitu Friderici Nea-
 politani Regis, & Isabellæ Reginae. Fri-
 dericus, cum se omnibus indigum, regno
 suo ejectum, in extera regione exulem,
 a suis subditis neglectum, a fidioribus a-
 micis proditum, ab omnibus derelictum,
 servituti tanto Principe indignæ man-
 cipatum, & potentiae, atque hostium suo-
 rum arbitrio traditum conspiceret, tot
 ærumnarum concursu oppressus, die no-
 na Novembris Anno Domini millesimo
 quingentesimo quarto Turonii obiit ex
 febris quartana. Non ignorabat Frideri-
 cus, Franciæ, ac Hispaniæ Reges, utpote
 studiis oppido contrariis impulsos ad sibi
 reddendum Neapolis solium nunquam
 concordia opera conventuros, atque a neu-
 tro eorum perversum simulandi studium
 abesse, nec ab illis regni recuperationem
 alio ex fine proponi, quam ut illum,
 velut crepundiis pueros, vana spe pasce-
 rent, simulatoque eidem imperium re-
 stituendi studio, cunctis Principibus im-
 pone-

ponerent, cum in animo firmiter statuis- Sæcul. XVI.
 sent ejusmodi restitutioni obluſtari. Nec A.C. 1504.
 temeraria erat Friderici opinio, quapro-
 pter ante obitum ſuum, vitæ ſuæ termi-
 num inſtare ſentiens, Filio ſuo Calabriae
 Duci literas monitis, atque conſiliis non
 minus prudentibus, quam ſalutaribus
 plenas hunc in modum perſcripſit: *De-*
bes te, inquiebat, ita rebus præſentibus
accommodare, ut ad majora nitaris, neque
præpoſteris voluptatibus extingui vigorem
animi, frangi corpus, neque terreri difficul-
tatibus quamvis maximis patiaris: te for-
tem & munificum, ut præſens fortuna dat,
cunctis exhibe, corpus idoneis laboribus viri-
le effice ac militare, modestia animum firma.

§. LX.

Isabellæ Castellæ Reginae ex-
trema.

Eodem quoque Mense die vigesima sex-
 ta, decima septima poſt Friderici o- Marian. l. 28
 bitum die Isabella Regina Medinae Cam- n. 60.
 pi mortalitatem exiit, anno ætatis ſuæ Spond. l. c.
 quinquageſimo tertio. Huic Hispania n. 4.
 ampliffimos Monarchiæ ſuæ fines, Gra- Bonaccurf.
 natam, Neapolin, Canarias Inſulas, No- in Diario.
 vumque Orbem maxima parte debet. Oſorius lib. 3
 Eadem extremo, antequam moreretur, Raynald. hoc
 die teſtamenti tabulas condidit, in quibus ann. num. 40.
 Joannam Archiduciſſam Filiam ſuam
 natu

Sæcul. XVI. natu majorem, unicam Castellæ, regno-
A.C. 1504. rumque adjacentium hæredem scripsit,
 voluitque, ut Archidux illius Maritus in
 imperii consortium vocaretur, si vero ob
 absentiam, valetudinem, aut ob aliam
 quamcunque causam, Joanna regni ad-
 epti curam non susciperet, aut Castellæ,
 ceterisque regnis ab ea dependentibus
 imperare omnino recusaret, tunc sanxit,
 ut standum esset decretis, quæ ante bien-
 nium in comitiis generalibus Ordinum
 Regni ad populi preces condita fuissent;
 proin Joannæ nomine & loco Ferdinan-
 dus Rex regnum gubernaret, donec Ca-
 rolus Nepos vigesimum annum attinge-
 ret. Præterea testamento cavit, ut idem
 Rex præter tres supremos Magistratus
 Equestrium Ordinum S. Jacobi, Calatra-
 væ, atque Alcantaræ a S. Sede Ferdi-
 nandi administrationi concessos, etiam
 media parte potiretur ex cunctis rediti-
 bus, qui Castellano regno ex omnibus
 Insulis, & Terra firma recens ab Hispa-
 nis in novo Orbe detectis proveniunt,
 præter viginti quinque Ducatorum mil-
 lia, quæ quotannis ex Regii ærarii pro-
 ventibus perciperet. Hanc supremam
 voluntatem exequendi provinciam de-
 mandavit Ferdinando Regi Marito suo,
 Ximeno Toletano Archiepiscopo, Di-
 daco de Deca Palenciæ Episcopo, &
 duobus regii ærarii Præfectis, scilicet
 Anto-

Antonio de Fonseca, & Joanni Velasquez, necnon Joanni Lopez de Lazzaraga qui in edendis edictis Reginæ a secretis erat.

Sæcul. XVI.

A.C. 1504.

§. LXI.

Archidux ob Isabellæ testamentum ira accensus.

Isabella vix fatis functa, aperiuntur testamenti tabulæ non sine ingenti Archiducis fastidio, qui se modo haud tolerando vilipensum censebat, quippe ex nuptiali pacto, quo Philippus cum Archiducissa conjugali vinculo jungebatur, Tutor nominabatur, si forte ipsa regiminis incapax esset: Nihilominus neglecta hac lege Ferdinando ejus Socero tutela deferebatur; hanc ipsam injuriam Castellæ Proceres Philippo illatam haud minus acerbe tulerunt, hinc habito consensu clarissimum Joannem Manuelem, ad curandas Philippi res in Castella relictum, ad eundem ablegant. Hic cursoriis equis ad Archiducem delatus, eundem his verbis alloquebatur: „Isabellæ testamentum nihil moreris, Archidux, aliena a mente illud scripsit, firmavitque, non nisi extrema vitæ suæ momenta consecrans, ut solidissimas Castellanæ Monarchiæ leges violaret, e quidem Regni administrationem Ferdinando

*Marian. ib.
Alv. Gomez
lib. 3.*

Sæcul. XVI. „ dinando, utpote Marito suo commisit,
 A.C. 1504. „ verum ille, cum ex Arragonum gente
 „ fit, Castellanis pro alienigena ha-
 „ betur. „

§. LXII.

*Archidux Castellæ Rex nomi-
natus.*

Ferdinandus consilia, quæ Proceres cum
 Archiduce agitabant, penitus igno-
 rabat, nec sagacitate sua assequi pote-
 rat: Nihilominus auctor illi erat Tolet
 Archiepiscopus, ut nulla mora ad Generum
 suum Legatos decerneret, qui Joannis
 Manuelis conatibus obsisterent; verum
 Manuel Hispanos prævertit, tantaque
 dexteritate Archiducis animum inclina-
 vit, ut hi de Legationis suæ successu peni-
 tus desperarent: Jam enim Archidux Ca-
 stellæ Regis nomen, & insignia usurpa-
 bat, & Manuelis oratione animum ad-
 dente, classem instrui jubebat, qua una-
 cum Sponsa sua in Hispaniam trajiceret;
 ea res Socerum ejus non parum afflige-
 bat, angebatque; noverat enim, quod Ca-
 stellani Archiducem vix adventantem
 protinus Regem suum salutaturi essent,
 de cetero nihil magis verebatur, quam
 denuo in Arragoniam reverti; tum e-
 nim, se Neapolis Regnum adversus
 Gallos

Gallos servaturum, omnem spem abjiciebat. Sæcul. XVI.
A.C. 1504.

§. LXIII.

Germana de Fuxo a Ferdinando Arragonio in Sponsam petita.

Hæ tamen curæ non adeo anxium reddere Ferdinandum, ut ei de secundis nuptiis cogitandi spacium denegarent. Præprimis Joannam Henrici IV. Castellæ Regis, qui Isabellæ, & Lusitanis Infantis frater erat, Filiam selegerat; hæc autem plurimum opinione natalium vitio laborabat, ac tum temporis in sacrarum Virginum Collegio inclusa, nulla tamen Virginitatis sponsione obstricta erat. Nihilominus Ferdinandus potissimum illius nuptias expetebat, ut Regiæ hujus Filiæ jura in Castellæ regnum, excluso Archiduce, rursus suscitaret. Attamen Emanuel Lusitanis Rex, a cuius nutu hoc connubium dependebat, constanter Ferdinandi votis oblectabatur, veritus, ne belli flammis exinde in Castella suscitatis, & ipse, utpote satis vicinus, iis implicaretur: Ferdinandus spe sua dejectus, animum suum addixit Germanæ Fuxiensi, quæ Joannem de Fuxo Narbonæ Vice-Comitem. & Ludovici XII. Sororium Patrem habuit, Marian. l. 28
n. 72.

Hist. Eccles. Tom. XXXI.

M m ac

Sæcul. XVI. ac tunc nonnisi decimum octavum æta-
A.C. 1504 tis annum agebat: Ferdinandus igitur
 hujus nuptias ambiens, Oratores suos ad
 Ludovicum XII. decrevit, quæsito Iſa-
 bellæ mortem nunciandi obtentu. Rex
 Legatis perbenigne exceptis, dolenter
 mærorem de Reginæ obitu testabatur,
 iisdem vero de Archiduce, ejusque con-
 filiis sermonem inſpergentibus, Rex non
 minus, quam ipſe Ferdinandus adverſari
 videbatur; attamen cum hæc omnia
 minime præcipuum legationis caput re-
 ſpicerent, haud diutius illis immorati,
 ſine ambagibus exponebant, Regem eo-
 rum Dominum nuptias cum Ludovici
 Nepte efflagitare. Rex quidem primo
 tergiverſari, ætatis inæqualitatem cauſa-
 fari, atque obtendere, quod Ferdinandus
 potiori jure ejus Pater quam ſponſus es-
 ſet habendus; tandem vero eorum vo-
 tis acquievit.

§. LXIV.

*Callixtinorum errores in Bo-
hemia.*

*Bosſuet. hiſt.
 de variation.
 tom. 2. in 4.
 lib. II.*

Interim in Bohemia, & Moravia errores
 ſuos ſpargere pergebant Callixtini, ſic
 dicti, quod uſum calicis in ſacra Synaxi
 etiam Laicis omnino neceſſarium trade-
 rent. Hujus Sectæ caput erat Jacobel-
 lus, qui calicem unacum pane admini-
 ſtra-

strandum docebat, cujus errorem Bohemi amplectebantur, postquam crebris disceptationibus ultro citroque habitis, tandem eis Basileense Concilium pacis studio Communionem sub utraque specie indulserat, edito hanc in rem concordiaë diplomate, quod *compactatum* appellare solebant. Verum progressu temporis his minime contenti, Calicem etiam infantibus recens baptizatis propinandum contendebant, & Rochisana eorum Coriphæus, & Presbyter, ac Jacobelli Discipulus, cum esset Vir ambitione tumens, ac Pragensem Archiepiscopatum aucupandi spe dejiceretur, omnibus viribus impedire nitebatur, ne Bohemi ad Ecclesiæ Romanæ sinum redirent.

§. LXV.

Fratrum Bohemorum Sectæ initia.

Ceterum Calixtinorum secta æque ac Bohemorum fratrum, qui veterum Taboritarum a Podiebracio exterminatorum funestæ erant reliquiæ, in Bohemia semper prævalebat, donec Lutherus ad suam hæresin hos & illos pertraxisset. Prius vero Bohemi Fratres suorum numero adeo excreverant, ut novæ sectæ societatem conflarent, cujus Antesignanum quemdam Sutorem, nomine Petrum

M m 2 Kele-

Sæcul. XVI Kelesiski, venerabantur, qui eisdem credendorum summam præscripsit; postea vero iidem Pastorem seligebant Matthiam Convaldum, Anno autem Domini millesimo quadringentesimo sexagesimo septimo sese a Calixtinis separabant, eosque plusquam vatiniano insequabantur odio, aliosque sibi Ministros creabant.

Horum errores parum omnino ab Husitarum secta discrepabant; exsufflabant enim Missam, Transsubstantiationem, suffragia pro mortuis, cultum Sanctorum, ac præprimis lacebent auctoritatem summi Pontificis, quem Antichristum appellabant, Ecclesiam vero Romanam illam meretricem, de qua in Apocalypsi legitur, criminabantur. Tam crassæ erant ignorantia, ut omnes, qui ex aliis Ecclesiis ad eos accesserant, denovo sacro fonte abluerent, atque huic errori per integrum sæculum insisterent; ceterum Sacrorum ministerium non nisi meris laicis deferebant, in Missæ sacrificio solam orationem Dominicam adhibebant; abominabantur Ecclesiæ Romanæ Sacramenta; Scripturam velut unicam fidei regulam venditabant, in pane fermentato absque omni ritu celebrantes, Christum Dominum in Eucharistia minime adorandum tradebant; præterea nec Sanctos, nec eorum imagines

gines venerabantur, pro defunctis nullas preces persolvebant, celibatus sanctitatem, vota, jejunia, omnesque Ecclesiæ ritus rejiciebant, denique non alia celebrabant festa, quam Nativitatis, Paschatis, & Pentecostis solemnities. Hæc sunt illius sectæ deliria, quæ duo, aut tria hominum millia spargere præsumebant, & hi omnes pari odii ac seditionis insania Calixtinos, quos inter vivebant, simulque Romanam Ecclesiam, a qua sese avellebant, insectabantur.

Sæcul. XVI.
A C. 1504.

§. LXVI.

Prima sectæ professio Fratrum Bohemorum.

Calixtini, qui ab Ecclesia Romana solo calicis usu discrepabant, juncto cum Catholicis consilio Bohemos Fratres apud Wladislaum VI. detulerunt, eidemque præfati fratres hoc anno fidei suæ formulam tradiderunt, errores suos, de quibus accusabantur, vindicaturi. In eadem cum Orthodoxis admittebant septem Sacramenta pro adimplendis, quæ Christus fidelibus fecisset, promissis stabilita, eaque ex sacris paginis comprobabant, nec minus propugnabant etiam peccatorum confessionem tanquam rem lege præceptam: Præsentiam vero realem in Eucharistia hunc in modum profitebantur:

Bossuet ib. tom. 2. p. 300. In apolog. 1532. 4. part. apud Lyd. p. 295.

M m 3 tur:

Sæcul. XVI. tur: Credimus, recipi corpus & sanguinem
A.C. 1504. Domini sub speciebus panis, & vini; non

In fascic. ver. ort. Gratii fol. 81. edit. anni 1535. & tom. 2. secund. edit. Londin. sumus ex eorum numero, qui male intelligen-
tes verba Domini dicunt, eum digitis mon-
strasse, & dedisse panem in memoriam cor-
poris dicendo: Hoc est Corpus meum:
alii dicunt, panem significare Corpus Christi,
quod est in cælo: omnes hæc explicatio-
nes videntur nobis remotissimæ ab intentio-
ne Christi, nobisque multum displicent. „Plu-
ra, inquit doctissimus Meldensis Episco-
pus, in S. literis exstant monumenta,
quæ ad comprobendam S. Euchari-
sticæ veritatem æque valida, ac notatu
digna sunt, adeo, ut ex illis clare per-
spiciatur, quam futili argumento Cal-
vinistæ sensus figurati defensores in
erroris sui patrocinium fidei formulas,
quas Bohemi emiserant, vocare ni-
terentur. „

In aliis articulis ejusdem professionis,
eodemque anno editæ, Bohemiæ Fra-
tres proxime Catholicorum doctrinis ac-
cedere videbantur: Admittebant enim
Symbola Apostolorum, Nicænum, & S.
Athanasii, necnon SS. Trinitatis, atque
Incarnationis mysteria in sensu prorsus
orthodoxo. Duplicem distinguebant
Ecclesiam, unam dicebant ex omnibus
electis ab exordio usque ad finem mun-
di compositam, alteram autem statuebant
ex Ministris a Deo missis, & ex popu-
lo

lo illis subjecto congregatam ; istamque Sæcul. XVI.
A.C. 1504.
posteriorem ex bonis & malis compo-
sitam afferebant, paratosque sese exhibe-
bant, Pastoribus veritatem docentibus
obedire, malis tamen Ministris, qui se
veritatis hostes declarant, parere, mini-
me se obstrictos censebant, unde æquo
animo persecutiones tolerabant : Doce-
bant quoque, Ecclesiæ ministerium in Ev-
angelio Christi, atque in sanæ doctrinæ
prædicatione consistere.

§. LXVII.

Eorum opinio de Sacramentis.

De Sacramentis vero hanc opinionem *Raynald.*
tenebant, quod Baptismus adultis *ad ann. 1504.*
æque, ac infantibus necessarius, sit si- *n. 27. Et seq.*
gnum internæ puritatis per fidem aqui-
sitæ ; confirmationem autem ajebant
dari Baptizatis in fide, & spe per imposi-
tionem manuum Episcopi, vel Presby-
teri, & de Eucharistia differebant, quod
per illam conferatur, sitque verum Chri-
sti corpus, verusque sanguis, cum Chri-
stus sit summus Sacerdos: se ipsos ve-
ro jactitabant Ministros ab illo missos, ut
Evangelium prædicarent, Christi loco
sententias pronuntiarent, sacrificia &
preces offerrent, & reprobos anathema-
te percellerent. Ad inaugurandos Sa-
cerdotes tria requirebant necessaria, ut
M m 4 scilicet

Sæcul. XVI. scilicet fidei, ac probatæ vitæ examen
A.C. 1504. fieret, oratio cum jejuniis perageretur ac
 potestas per preces, quæ illam exprimunt, conferretur, & per impositionem
 manuum confirmaretur. Tandem Sacramentum Matrimonii constituebant in
 unione indissolubili maris cum foemina, illudque dicebant figuram unionis Christi
 cum Ecclesia. De Sacramento Pœnitentiæ profitebantur, quod peccator,
 si præteritæ vitæ delicta delere desiderat, teneatur ea Sacerdoti docto manifestare,
 qui nomine Dei, & Ecclesiæ officium Judicis exercens, gravitatem peccati
 eidem peccatori exponeret, ac pro eadem commendatione vitæ salutaria suggereret
 consilia. Denique infirmorum unctiōnem approbabant, eamque Sacramentis
 accensebant.

Attamen duplicem distinguebant Sanctorum communionem, quarum unam
 asserunt ex vivis Ecclesiæ membris compositam, quam utilem & salutarem
 putabant; alteram vero spargebant conflam ex malis, quos non nisi secundum
 externos ritus cum Ecclesia communicantes, & spiritualibus vero illius bonis
 exclusos censebant. Nec minus docebant, quod is, qui per vivam fidem cum
 Christo communicat, in ipso remissionem peccatorum recepturus sit ac etiam ille,
 qui in Sacramentis Ecclesiæ participat, per eandem

eandem fidem pari certitudine delictorum Sæcul. XVI.
A. C. 1504.
 veniam obtineat, & si hæc fides ad
 finem vitæ suæ in eo perduraverit, in die
 judicii per beatam resurrectionem glo-
 riam æternam consecuturus sit. Hanc
 ipsam fidei professionem Sacris Li-
 teris inniti declarabant, atque expone-
 bant, se non alia ex caussa ab Ecclesia Ro-
 mana discessisse, quam ob superstitiones,
 atque errores in illa dominantes, vel ut
 Sacramentis a Christo institutis libere
 uti possent. Ergo illi Wladislaum Bo-
 hemiæ Regem adibant, supplices, ut eo-
 rum fidei professionem reciperet, facto
 promisso, se errorem, si cujus convince-
 rentur, statim deposituros, nec ullo pa-
 cto contumaces sese ostensuros, ut proin-
 nullatenus velut hæretici traduci, sed
 in vita tranquille ducenda permitti de-
 berent; nec minus suis fratribus, qui
 captivi detinentur, libertatem reddi,
 eisque regno Bohemiæ excedendi ve-
 niam concedi oporteret.

§. LXVIII.

*Wladislai Regis edictum contra Bo-
 hemiæ Fratres.*

Verum Wladislaus Bohemiæ Rex huic Dubrav. l. 32
Raynald. l. cit. n. 31.
 fidei formulæ, ac Bohemiæ Fratrum
 precibus adeo nil detulit, ut etiam con-
 tra eos edictum promulgari juberet, quo
 M in 5 cautum

Sæcul. XVI. A.C. 1504. *cautum, ne in cœtus publice aut privatim coi-
rent, a concionibus, scriptisque de sua secta pla-
ne abstinere, ac die vigesima septima Decem-
bris Pragam venirent, coram Magistratu
comparerent, atque ejuratis erroribus ad al-
terutram partem aut Romanam, aut Calix-
tinam accederent. Edicto ubique promul-
gato, Bohemiæ fratres denuo Regem ac-
cedunt, ac supplices porrecto libello ra-
tiones exponunt, propter quas ab Ec-
clesiæ Romanæ unione recessissent, co-
ram Deo professi, se nunquam hæresin
ullam, aut tenuisse, aut sparsisse, demum
ea, quæ de Eucharistia censerent, repe-
tentes subjungunt, illam omnino sub du-
plici specie sumendam, atque admini-
strandam. Insuper affirmabant, quod
Christus in hoc Sacramento non sit a-
dorandus, cum is hoc cultu duntaxat
in dextera Patris sedens honorari debeat.
Præter hæc adstruebant, quod Beata
Virgo gratia fuerit plena, ac semper per-
manserit Virgo sanctificata, dignaque e-
vaserit, ut Verbum ex ea carnem sume-
ret, omnes autem pietatis, ac religionis
actus, quibus colitur, velut superstitio-
sos rejiciebant. Tandem fidem suam
Regem obsecrant, ut eos ab hostium suo-
rum vexationibus tueretur, affirmantes,
Christum minime præcepisse, ut homi-
nes vi, armorumque violentia ad fi-
dem*

dem Christianam compellerentur, se au- Sæcul. XVI.
 tem ad amplectendam veritatem, quam- A.C. 1504.
 primum illa eis cognoscenda traderetur,
 omnino paratos offerebant. Attamen
 Wladislaus, se de severitate edicti sui ni-
 hil remissurum respondit.

§. LXIX.

*Romæ cujusdam Presbyteri suppli-
 cium.*

Cum quidam Presbyter Aquilejensis, *Raynald.*
 nomine Aquinas de Coloreto, Car- ann. 1504.
 dinalem S. Angeli interfecisse insimula- n. 20.
 retur, Capitolii Senator eundem morte
 plectendum pronunciabat; lata ergo sen-
 tentia die decima sexta Februarii in fo-
 ro S. Petri ad gradus Ecclesiæ ferale
 pegma erigitur, reusque illud cum Se-
 natoris Prætoꝛe conscendere jubetur;
 post hæc sententiæ tabulis coram eo
 prælectis, Notarius Sub-Diaconatus Or-
 dine insignitus, Presbyterum vestibus
 suis spoliavit, eumque Petrus Civitatis
 veteris Episcopus Ordinibus sacris solito
 ritu exauctoravit, quibus peractis Nota-
 rius Aquinatem Senatoris manibus rur-
 sum tradidit, qui illum in foro e regione
 domus suæ proxima die Sabbati capite
 plecti jussit.

§. LXX.

Secul. XVI.
A.C. 1504.

§. LXX.

*Henricus VII. Henricum VI. Romæ
Sanctorum numero adscribi
postulans.*

*Bacon. sub
fin. hist.*

Henr. VII.

*Raynald. ad
hunc ann.*

n. 33. & seq.

Harfsfeld.

hist. Anglic.

15. Sæc. 60.

Sub idem ferme tempus Angliæ Rex summum Pontificem supplex rogabat, ut Henricum VI. ultimum ex Lancastrienſium Familia Anglorum Regem inter Cœlites annumeraret, sperabat enim Rex, Eboracenſium nomen Angliſ ad huc magis inſenſum fore, ſi Princeps ille, quem Richardus II. ex Eboracenſi Familia ortus propriis ſuis manibus crudellem in modum trucidaverat, Sanctorum factis adſcriberetur: quapropter Henricus VII. Romam Oratorem ablegabat, qui a Pontifice Maximo hanc gratiam impetraret. Julius II. non quidem plus æquo religioſus, Sacræ Sedis tamen auctoritatem in diſcrimen adducere veritus, ad Angliſ Legati preces obſtupuit; quamvis enim Henrici vita vitii expers, ejusque mors injuſta fuiſſet, nihilominus ejusdem virtutes heroicis, ut vocant, factis claras, ob quas publici Sanctorum honores decernuntur, fuiſſe haud conſtabat, imo eo adhuc vivente, non deerant, qui ejus vitæ, morumque integritatem adeo deprædicatam potius ejusdem ſimplicitati, ingeniique imbecillitati

litati adscriberent: hinc summus Pontifex Legatum, quibus Miraculis Henricus VI. conspicuus esset, interrogat, addens, quod equidem illibatæ vitæ merita ad hoc, ut Deus hunc Regem coelestibus coronis dignum judicaverit, abunde sufficerent, Ecclesia vero, quæ secreta cordium penetrare haud valet, alia Sanctitatis argumenta minus dubia requirat, uti sunt miracula post mortem patrata (*).

Siscnl. XVI.
A. C. 1504.

§. LXXI.

(*) Cum in *lo* Julius Pontifex in suo Brevis hoc anno 30. Maji ad Henricum VII. dato hæc verba habeat: Cum nonnulla miracula intercessione, ut pie creditur, Henrici VI. Regis Dominus operetur, & ad illius sepulchrum frequentia populi confluere cæpisset, item cum in suis literis die 19. Junii datis referat: Dominum illius meritis multa & evidentissima miracula quotidie demonstrare, cum cæci videant, surdi audiant, claudi ambulent ipso Henrico intercedente, cum quo Raynaldus & Harpsfeldius plura ejusmodi miracula speciatim recenseant, nec Papam id interrogasse, nec Legatum hæc respondiße, vero simile est.

Sæcul. XVI.
A.C. 1504.*

§. LXXI.

Congregatio pro examinanda Henrici VI. vita Romæ habitata.

*Bacon. loc.
supr. cit.*

Interim vero Pontifex, cum Angliæ Regis precibus omnino repulsam dare nollet, in cunctatione consilium quærebatur, sperans, Regem longioris moræ fastidio victum, a petito destitutum. Nihilominus Legatus rem ardentius urgens, Pontificis patientiam expugnavit, eumque adegit, ut Cardinalium Congregationem haberi concederet, in qua Henrici VI. vita discuteretur, & testes de ejus Sanctitate rite interrogarentur. Verum hac ipsamet ratione causa absque decisionis spe protrahebatur, imo ipsimet Commissarii Legato exponebant, quod forte defuncti Regis memoriæ melius consuleretur, si res omnino indecisa relinqueretur, cum semper primum esset dicere, quod adhucdum Canonisationis acta instruantur; si vero causa decideretur, fors sententia minus propitia foret timenda. Attamen Legatus omnino iudicium ferri contendebat, cujus tamen votis minime favebat sententia, quæ quamvis religioso admodum silentio premeretur, progressu tamen temporis compertum exstabat, Cardinales, testibus

bus rite examinatis declarasse, quod Sæcul. XVI. A.C. 1504.
 Henrici VI. vitam magis natus animi
 candor, ac ingenii imbecillitas, quam
 virtutum eminentia inclytam reddiderint.
 Henricus VII. hac sententia permotus,
 causam urgere destitit; perperam ergo
 Protestantum nonnemo in sua Angliæ De Rapin. Thoiras hist. Angl.
 Historia scripsit, Henricum expensarum,
 quas in Canonisationis solemnibus im-
 pendere debuisset, magnitudine territum,
 hanc causam missam fecisse.

§. LXXII.

Pax Venetos inter & Turcas.

Tandem hoc anno Veneti Turcarum Guic. lib 6. Justin. lib. 10. Crom. l. 30.
 bello fracti, pacem cum Bajazethe
 ineunt, quem ut ad honesta compelle-
 rent foedera, eidem erepta cedunt, ur-
 bemque S. Mauræ restitunt: quin e-
 tiam referunt nonnulli, illos tributum Ba-
 jazethi ad impetrandam pacem promi-
 sisse. Retinuerunt tamen Veneti Ce-
 phaleniam Insulam, quæ in mari Jonico
 e regione respicit Patrensem, ac Naupa-
 tensem sinus inter Achajam, & Mo- Spond. hoc ann. num. 5.
 ream sitos, qui etiam a Republica Anno
 Domini millesimo quadringentesimo no-
 nagesimo nono expugnati fuere. Hanc Marian. l 28 n. 45. & 58.
 igitur Insulam expulso Turcarum præsi-
 dio, rursus Christiani incolæ frequen-
 tabant. Ceterum pax illa a Venetis ma-
 ximo.

Sæcul. XVI. ximo studio exoptata erat, ne suorum
A.C. 1504. negotiationes ad terras Orientis non si-
ne levi Reipublicæ damno belli tumulti-
bus impedirentur,

§. LXXIII.

*Sultanus Ægypti a Venetis contra
Lusitanos sollicitatus.*

*Spond. ib.
n. 6. & 7.*

*Barros Asia
dec. 2. l. 2. c. 6.*

Orosius l. 4.

Veneti Turcarum metu liberi, omnes in
 eo curas intendebant, ut Lusitano-
 rum progressibus obsisterent, haud enim
 eorum commercio tam molestum erat
 Turcarum bellum, quam recentes Lusita-
 norum navigationes. Ergo, ut rem ex
 sententia gererent, missis ad Ægypti Sul-
 tanum probatæ fidei Viris, illum sollici-
 tant, ut nunciato Lusitanis bello, Indici
 maris imperium eis eriperet, atque Ori-
 entis commercium prohiberet, Id ut fa-
 cilius a Sultano impetrarent, ad eum
 transmittunt tormentorum conflando-
 rum scientia peritos artifices, necnon Re-
 gi Calecuti, ubi portus est ab Orientali ara-
 matum commercio longe celeberrimus,
 quosdam Fabros lignarios, qui Indos, na-
 ves Europæorum more fabricandi artem
 edocerent: Præterea ingens æris pon-
 dus ad conflanda tormenta eidem adve-
 hunt, ut Lusitanos e cunctis Indorum oris
 potenter pellere valeret. Sultanus, ut
 bellum contra Lusitanos honesto furo
 colo-

coloraret, prætenſas eorum vexationes, Sæcul. XVI. A. C. 1504.
 ac Venetorum querelas lubens excepit, rumoremque ſparſit, ſe Jerofolymitanas
 ædes, ſacrum Chriſti ſepulchrum, &
 Divæ Catharinæ in Monte Sinai mona-
 ſterium funditus everſurum, necnon cun-
 ctas Sanctorum reliquias in aerem ſpar-
 ſurum, omnesque Chriſtianos in ſuis di-
 tionibus ad amplectendam Mahometis
 ſectam compulſurum, niſi Luſitani præ-
 ſtituto tempore inde excederent: Inſu-
 per conqueſtus eſt de injuria a Ferdinan-
 do Rege Catholico Mauris illata, eo-
 quod illos aut patria expulſiſſet, aut Gra-
 natenſi urbe occupata ad Chriſtianorum
 ſacra coegiffet, nec minus Emanuelem
 Luſitaniæ Regem incuſabat, Mauros ab
 eo indies vexari, atque Orientalis maris
 commercio præpediri, ſimulque Princi-
 pum, qui in Indiis imperarent, nec ſan-
 guini, nec bonis parci.

§. LXXIV.

*Franciſcanus a Sultano ad Papam
 miſſus.*

Ne vero Sultanus harum comminatio- Barros dec. I
 num propoſitum exequeretur, Fran- 1.8 c.2. § 3.
 ciſcanus quidam, S. Catharinæ Fratri-
 bus in monte Sion Jerofolymis præpoſi-
 tus, nomine Sultani Papam adire ſpon-
 det, ut eum ad reparandas, quas Hispa-
Hiſt. Eccleſ. Tom. XXXI. nus,

Sæcul. XVI.
A.C. 1504. nus, & Lusitanus Reges Indis intulissent, injurias induceret. Annuit Sultanus, eademque literas ad Papam deferendas tradidit: Ergo Franciscanus Romam delatus, Sultani minas exponit, omnesque, quos alloquendi copiam habebat, terrore replet, quapropter Pontifex, ut iratum, si posset, placaret, Monachum cum iisdem Sultani literis in Hispaniam, ac Lusitaniam ad Ferdinandum, & Emanuellem ablegat, ut, quid respondendum, quidve agendum esset, considerarent. Emanuel cunctas hasce minas negligens, Franciscano respondit, quod ad sedandam Sultani indignationem omnibus Lusitanorum viribus prævaleant emolumenta, eaque amplissima, quæ ille ex Christianorum peregrinationibus ad loca sacra corradere solet; his dictis Monachum largis eleemosynis in Terram sanctam deferendis auctum, ad summum Pontificem remisit unacum literis, quibus Pontifici hæc significavit, „doleo, quod „ non majorem Sultano dederim expro- „ stulationis occasionem, spero tamen, „ directurum ita Deum arma mea, ut ea „ etiam ad Mechæ, & sepulchri Ma- „ hometis everfionem pertingant; inter- „ rim vero Sanctitatem vestram iterum „ iterumque obtestor, ut omnes Prin- „ cipes Christianos excitare velit, qua- „ tenus & ipsi ad tam pium opus am- „ mos

„ mos viresque jungant. „ Porro Mo-
 nachus in Ægyptum reversus, legatio-
 nis suæ rationem reddidit, nec tamen
 propterea Sultanus, quæ minatus fue-
 rat, executus est.

§. LXXV.

*Lusitani a pace cum Venetis penitus
 alieni.*

Cum autem Veneti aromatum, quæ *Marian. lib.*
 cum ingenti quæstu per omnes Pro-
 vincias divendebant, commercium a
 Lusitanis interceptum summopere dole-
 rent, cum æmulis suis concordiam inire,
 eosque in lucri partem admittere consti-
 tuebant; hanc in rem cum Ferdinando
 Hispaniarum Rege agebant, ut cum Ema-
 nuele Lusitano genero suo conferens, has
 controversias componeret: verum is ope-
 ram ea in re perdidit; quippe lucri cupi-
 ditas Lusitanorum aures obturavit.

§. LXXVI.

*Ingens Lusitani Regis propagandæ
 Fidei studium.*

Ceterum Emanuel non solum, ut in *Orosius l. 3.*
 Regno suo vel maxime commercia *Maffæus l. 3.*
 flourerent, intentus erat, sed etiam po-
 tissima sollicitudo ejus animum occupa-
 bat, ut per omnes Regiones, quæ illius

Sæcul. XVI Imperio parebant, Christi fidem propaga-
A. C. 1504. ret: quapropter pro viribus adlaborabat,
 ut in illis fidei Orthodoxæ semina jaceren-
 tur, quæ etiam feliciter sparsa fuere in
 Africa, Asia, atque in illa mundi pla-
 ga, quæ America dici cæperat: præci-
 pue vero studium suum convertit in Con-
 gi Regionem, quæ, ut supra memora-
 vimus, anno salutis millesimo quadrin-
 gesimo octogesimo quarto detecta fuit,
 ad hanc ergo isto anno multos Viros
 Apostolicæ pietate, ac scientia conspi-
 cuos misit, qui gentem illam tam in fide
 suscepta confirmarent, quam uberius in
 Religionis veritatibus instruerent: ut ve-
 ro Congenses incolæ mechanicas etiam
 artes edocerentur, multos, eosque pe-
 ritissimos artifices eo destinavit, qui om-
 nes summa veneratione, ac humanitate
 excepti fuere.

§. LXXVII.

Sabellici liber de Historia universali.

Paul. Jov. elog. cap. 42.
Vossius de hist. Lat. l. 3.
Philipp. de Bergam. lib. 16. suppl. chron.
 Ad hunc usque annum Sabellicus Hi-
 storiæ suam perduxit in septem E-
 neades, seu sexaginta tres libros divi-
 sam. Is Marcus Antonius Coccius Sa-
 bellicus nominabatur, in quodam muni-
 cipio Italici oppido natus haud procul
 ab Autone, alias *Vico-Varrone*, in Re-
 gione veterum Æquicolarum. Nonnulli
 illum

illum ex nobili Cocceiorum familia in ^{sæcul. XVI.} A. C. 1504.
 Æquicolis ortum volunt, quem tamen A. C. 1504.
 Paulus Jovius pauperis Fabri ferrarii fi-
 lium fuisse testatur. Ceterum assiduam
 literis operam, vigilesque curas sacra-
 bat, quibus sub Pomponio Læto, & Do-
 mitio Veronensi Magistris plurimum Ro-
 mæ sese excoluit. Porro eo primum
 se contulerat, postquam aliquamdiu Ti-
 buri puerorum institutione vitam susten-
 tasset: Ab eo autem temporis puncto
 Cardinalis Bessarionis Bibliothecæ Præ-
 fectus, non sine magna nominis sui fa-
 ma Venetiis literas docuit, minus ta-
 men celebrem se reddidit lucubratione,
 qua res Venetorum conscribere jubeba-
 tur; quippe præter dictionem nimis hu-
 milem, historiam suam indignis adula-
 tionibus foede contaminavit, tandem
 ferme Septuagenarius mortuus dicitur
 ex lue venerea die decima octava Apri-
 lis anno Christi millesimo quingentesimo
 sexto, nulla prole præter Nothum filium
 relicta. Historiam suam a creatione mun-
 di usque ad currentem annum perduxit,
 præter quam extant adhuc alia ingenii
 sui monumenta, inter quæ recensentur
 tres libri de situ urbis Venetæ, decem
 exemplorum libri, liber de Magistratibus
 Venetis, aliaque varia opera anno mil-
 lesimo quingentesimo sexagesimo in qua-
 tuor majoris formæ voluminibus impressa.

N n 3

§. LXXVIII.

Sæcul. XVI.
A C. 1504.

§. LXXVIII.

Stephani Walachiae Palatini obitus.

Michov. lib. 4. c. 84.
Cromer. l. 30. Hoc item anno Stephanus Vaivoda, seu Walachiae, & Moldaviae Palatinus obiisse a nonnullis creditur. Is ingentem sibi existimationem conciliabat crebris victoriis, quibus Turcas, Matthiam Hungariae, & Albertum Poloniae Reges, ac nonnunquam Tartaros prostravit, fugavitque, hinc propter animi magnitudinem, ac rei militaris peritiam inter præstantissimos ævi sui Heroes merito numerandus est: tandem vero bellorum, quæ gessit, laboribus, annorum numero, & podagræ doloribus pene confectus, postremos vitæ suæ dies misere finivit, Græcorum schismati pertinaciter immortalis. Huic in Principatu successit Bogdanus filius, cognomine Luscus, ita dictus, eoquod uno oculo orbatus esset.

§. LXXIX.

Podacathari, & Spratzii Cardinalium extrema.

Guicc. l. 5.
Garimbert. lib. 2. Eundem annum Ludovicus Podacatharus, & Franciscus Spratzius Cardinales vitæ postremum habuerunt. Primus Nicosiæ in Græcia natus, ex Episcopo Caputaquensi ab Alexandro VI. Papa

Papa anno salutis millesimo quingentesimo Cardinalis tit. S. Agathæ renunciatus est, postquam ob egregias animi doctes, morumque integritatem Rector Academiae Patavinæ constitutus, præclaram probi viri famam non immerito tulisset: hic cum iter suum in Hispanias prosequeretur, Mediolani e vita migravit, & corpus ejus Romam delatum in Ecclesia S. Mariæ de populo cum præclara inscriptione tumulatum est. Alter erat Franciscus Spratzius natione Hispanus, Episcopus Legionensis, qui anno priori, adepto SS. Sergii & Bacchi titulo, Purpuratorum Collegio adscriptus fuit.

Sæcul. XVI.
A. C. 1505.

§. LXXX.

Constitutiones Julii II. de electione Pontificis, & Beneficiorum provisionibus.

Cum in Romanorum Pontificum electiones non pauci abusus irrepsissent, eoquod nonnulli per vias minus legitimas, ac nonnunquam per pollicitationes officiorum, dignitatum, ac pinquum Beneficiorum Cardinalium suffragia non sine simoniæ vitio sibi conciliaissent, hinc Julius II., ut ejusmodi foeditati, cuius Sedes Apostolica vehementer infamabatur, & a qua forte nec ejus quoque electio penitus immunis erat, imposte-

Ex Bullar. Jul. II. tom. I. Constit. 3. & 4. Spond. hoc ann. n. I. Raynald. n. 1 & 2.

N n 4 rum

Sæcul. XVI. **A. C. 1505** rum occurreret, die decima quarta Januarii anno millesimo quingentesimo quinto Constitutionem edidit, qua statuit, quod summi Pontificis electio, si qua Simonia in ea, vel ab electo, vel ab eligentibus committeretur, eo ipso nulla censeatur. Insuper præcipit, ut contra ipsum uti Hæreticum agi possit, implorato etiam iudicii sæcularis auxilio, eo fine, ut electus exauctorationis poena mulctari valeat; statuit etiam, ut tam ipse, quam illi, qui ad ejusmodi electionem operam contulerunt, privati sint Cardinalatu, aliisque omnibus beneficiis, feudis, dignitatibus, ac bonis &c., ii vero Cardinales, qui Simoniae non consenserint, electionem alterius Pontificis intrinseque possint, & Concilium etiam generale indicere, ac convocare. Id ipsum equidem remedium est utilissimum juxta ac sanctissimum, ejus tamen executio difficillima, prævalente immoderata honorum cupiditate, qua potissima hominum pars, & ferme semper illi, quibus dignitates consequi integrum est, plurimum infecti sunt.

Idem Pontifex die vigesima octava Julii ejusdem anni aliam promulgavit Constitutionem, qua Sedis Apostolicæ commodis magis intentus præcepit, ut omnes, qui de hodierno usu a Curia Romana

mana Beneficiis providentur, eam acce- Sæcul. XVI.
derent, atque Annatas solverent: hanc A.C. 1505.
in rem alias ab Antecessoribus suis super
his editas Constitutiones confirmavit.

§. LXXXI.

Fœdus Papæ, Cæsaris, & Galliarum Regis adversus Venetos.

Cum Veneti fines suos latius ubique Marian. lib. 28.
extendendo Ecclesiæ ditionibus, necnon Ducatui Mediolanensi, ac ipsi
etiam Augustissimæ Domui Austriacæ
non leve detrimentum inferrent, hinc
Julius Pontifex illis graviter indignatus,
adversus eos potissimum promovere con-
nabatur armorum societatem, Cæsarem
inter, & Franciæ Regem Blesi initam.
Equidem Papæ jura, ad quæ vindican-
da foederatis accesserat, haud exigui
erant momenti, quippe Ravennam, Cer-
viam, Faventiam, Ariminum, Forum
Cornelii, harumque urbium territoria
Sedi Apostolicæ, cujus antea erant,
restitui petebat. Hac rerum conditione
Cæsar rebus suis haud defuit; Rex quo-
que Galliarum Mediolani Ducis jura fe-
cit sua. Ad idem foedus invitabantur eti-
am Ferrariæ Dux, Marchio Mantuanus,
Florentinorum Respublica, atque Hun-
gariæ Rex, adeo, ut ex tot Foederato-
rum numero, ac potentia Venetis vix
non

Sæcul. XVI non extremum impenderet exitium. Ce-
A.C. 1505. terum Fœderis pacta, quæ Pontifex
 cum utroque Rege sanxerat, jam anno
 præcedenti vigesima secunda Septembris
 firmabantur, eodem nimirum die, quo
 Venetorum Republica cum Turcis pa-
 cem inierat, ut nuper memoravimus.

§. LXXXII.

*Fœderis successus ob Maximiliani tar-
 ditatem interceptus.*

Verum cuncta hæc consilia Maximiliani
 cunctatio disjecit, nequidquam eum
 stimulante Cardinale de Ambasia. Eius
 quoque tergiversationem expugnare co-
 nabantur Galli pollicitationis amplitudi-
 ne, qua se mediam partem summæ, quæ
 pro Ducatus Mediolanensis diplomate
 solvenda promittebatur, prærogaturos
 spondebant, hancque in rem fidem suam
 obstringebant, necnon re ipsa promissis
 stare constituebant, etiam fide data, se
 eidem, quamprimum in Italiam venisset,
 alteram quoque partem numeraturos.
 Ast ille adventum maturare spondit,
 continuo tamen moras traxit, causatus,
 proprii Regni sui negotia urgere, quæ
 ob Italicum iter haud negligere posset. Ni-
 hilominus concludebatur armorum socie-
 tas non sine magno Venetorum terrore.

§. LXXXIII.

§. LXXXIII.

Sæcul. XVI.
A.C. 1505.

Venetorum concordia cum summo Pontifice.

Veneti in hisce rerum angustiis prehen-
si, præsentissimum fore remedium
arbitrabantur, si pace cum summo Pon-
tifice inita, illum a foederatorum socie-
tate abstraherent, quapropter retentis
Faventia, & Arimino Romandiolæ ur-
bibus, Sedi Apostolicæ Foro-Cornelien-
sem, & Cesenatensem Comitatus, ce-
terasque omnes civitates sub Pii III. Pon-
tificatu occupatas restituere spondent, ea
duntaxat lege, ut Sanctitas sua eorum
Legatos admittere dignaretur: annuit
Pontifex, ac pacem conciliante Urbina-
tis Duce, Venetos denuo in gratiam re-
cepit, ac juxta pactorum leges decem
urbes, arcesque cum suis territoriis, ter-
risque annexis rursus Ecclesiastico im-
perio vindicavit.

Marian. lib.

28. n. 74.
Guicc. lib. 6.

§. LXXXIV.

San-Vallerius Franciæ Legatus Romæ.

Verum hac pace res suas parum auctas
esse, brevi experiebantur Veneti;
dum enim hæc gerebantur, San-Valle-
rius Romam venit, a summo Pontifice
per-

Sæcul XVI A.C. 1505 perbenigne exceptus, qui idem Budæum, Virum longe nominatissimum ab epistolis habebat. Is a Ludovico XII. accepit negotium, Papam inducendi, ut hic permetteret, quatenus Ferdinandus Neapolis Regno quiete potiretur, simul vero totis viribus præpediret, ne Cæsar imperialem Coronam accipiendi prætextu in Italiam veniret: verum Pontifex operam suam spondere, ac foedus sibi propositum ratum habere, adhuc dum cunctabatur.

§. LXXXV.

Franciæ Rex morbo correptus.

San-Galaf. hist. Ludov. XII.

Ferron l. 4.

Raynald. hoc ann. n. 9.

Interea temporis Ludovicus XII. ex febrili tertiana, quæ in continuam degenerabat, graviter decumbit, lingue usque privatus, ac ipsis quoque Medicis de ejus salute desperantibus. Funesto hoc nuncio Mediolanum delato, mox omnes ferme Galli, qui ad tuendum Ducatum relinquebantur, sine Regis venia ad sua revertuntur, caussati, eorum operam magis fore necessariam in Galliarum Regno, eoquod illud post Regis obitum gravibus bellis agitandum prospicerent, nec inanis fuisset eorum sollicitudo, si mala, quæ timebant, evenissent.

§. LXXXVI.

§. LXXXVI.

*Regina in Britanniam secedere
intenta.*Sæcul. XVI.
A. C. 1505.

Ipsa etiam Regina summopere verebatur, ne obeunte ejus Marito, aut Engolismæ Comitis proximi Franciæ Hæredis dominatui subjiceretur, aut fors ab eo ad extremos Britanniae fines relegeretur: quapropter opportuna fuga sibi consulere statuit. Jam totam suppellectilem suam, mundumque muliebrem, quem habebat pretiosissimum, navibus imponi, ac per Ligerim transferri jubebat: quinimo referunt nonnulli, quod ipsam quoque Filiam suam jamjam præmississet, verita, ne Engolismæ Comiti nuptura retineretur. Verum intercepta est suppellex a Giensi Marescallo, quam rem Regina tam iniquo tulit animo, ut injuriæ nunquam oblita, Regi pristinae valetudini restituto auctor esset, ut Marescallum capite plecti juberet. Annuit Rex, totamque causam Tolosano Senatui, utpote judicii severitate longe nominatissimo commisit. Attamen haud adeo cæco complacendi studio abripiebantur Senatores, ut Virum innocentia sua tutum capite damnarent. Nihilominus tamen Giensis pensionibus suis privatus, & imperio, ac Marescalli Franciæ

*D'Argentre
hist. Britan.
lib. 22.**Brantom.
mem. vie du
Marechal de
Gie.*

Sæcul. XVI
A C. 1505.

ciæ officio exutus, aula exulare jubebatur, unde in quamdam suam, quæ Vergerum vocabatur, ditionem in Andegavia sitam sese recepit.

§. LXXXVII.

Diffidia in Castella post Isabellæ obitum.

Marian. lib.
28. n. 62.

Rex recuperata salute, denuo publicis negotiis vacare cæperat, ac de fide, optatoque successu fæderis cum Papa, Cæsare & Archiduce desperans, faciles aures præbuit Ferdinando Hispaniarum Regi, qui primus cum eo armorum societatem inire pollicitus est: Regina enim Isabella fatis functa, variis diffidiis Castella scindebatur, Procerum compluribus, ut Ferdinandus Castellæ Regis insignibus ornaretur, exoptantibus; id enim testamenti tabulis cautum esse, ac proin Regni administrationem eidem asserendam dicebant, eoquod illius incapax esset Joanna Regina ejus Filia, utpote mentis inops facta. Ex adverso contendebant non pauci, Ferdinandum non modo a regiminis cura arcendum, sed etiam, si forte Joanna regno administrando impar esset, subrogandum esse Archiducem ejus Maritum, jamjam Castellæ Regem salutatum: horum sententiam Manuel fortiter tuebatur.

§. LXXXVIII.

§. LXXXVIII.

Sæcul. XVI.
A.C. 1505.*Ferdinandus suis studiis Galliarum
Regem jungere intentus.*

Ferdinandus inter tot arcta prehensus, *Marian. ib.*
non solum Castellam, sed etiam Gra-n. 72.
natae Regnum Castellano adjunctum,
necnon Neapolis coronam amittere ve-
rebatur, haud ignarus, quod Archi-
dux rebus suis adversa foveret consilia,
quapropter Galliarum Regem sibi devin-
cire conatur; ut vero animi sui proposi-
tum cautius tegeret, alterius negotii ob-
tentu Joannem de Enguerra Ordinis Ci-
sterciensis Monachum, ac in Catalonia
hæreticæ pravitatis Inquisitorem in Fran-
ciam Legatum decrevit, eumque Regiis
mandati literis instruxit; cum enim Ger-
manam de Fluxo in sponsam sibi tradi jam
nuper a Ludovico XII. efflagitasset, re-
petitis precibus huic Principissæ amplissi-
mas quasque condiciones offerri manda-
vit, inter cetera pollicitus, se liberis,
quos Germana susceptura esset, Neapo-
litani Regni coronam asserturum. Pla-
cuit Ludovico Ferdinandi promissum,
unde nuptiis ejus consensu firmatis vicif-
sim spondit, se omnibus suis in Nea-
polis Regnum juribus cessurum in Ger-
manam Neptem suam sibi in paucis ca-
ram, omnesque ejus posteros, sive ma-
res, sive foeminas.

§. LXXXIX.

Sæcul. XVI.
A.C. 1505.

§. LXXXIX.

Fœderis pacta inter utrumque Regem.

*Marian. ib.
Raynald hoc
ann num. 13.
Et 14.*

Nec segnior erat Ferdinandi animus, pollicebatur enim, si nulla suscepta prole ex nova conjuge prior ipse decederet, illam Neapolitani Regni partem, quæ partitionis legibus Franciæ attributa fuisset, ad Ludovicum Regem revocandam esse; Regem vero Catholicum Gallo numeraturum pro nuperi belli sumptibus quingenta Ducatorum millia, infra decem annos totidem æqualibus solutionibus pendenda; præterea spondebat, se Neapolitanis Proceribus, qui Gallorum partes secuti essent, sua bona, officia, ac dignitates redditurum, omnesque a Consalvo captos in libertatem asserturum, exceptis Valentini Duce, & Palladis Comite, quos Rex Catholicus liberos dimittere constanter recusabat. Stabilitis hisce conditionibus Galliarum Rex fidem suam obstrinxit, se Ferdinando adversus Imperatorem, ejusque filium Archiducem suppetias laturum, si forte hi Castellæ regimen eidem adimere molirentur; his addit Guicciardinus, quod Rex Catholicus Gastoni de Fuxo Germanæ Principissæ fratri promiserit, se eidem præsto adfuturum, ut Navarrae Regnum, quod suum esse contendebat, recu-

*Guicc. de reb.
Ital. lib. 5.*

recuperaret, ea tamen lege, ut Rex Chri- Sæcul XVI.
 stianissimus Neapolis Reginam Friderici A.C. 1505.
 Regis viduam cum suis liberis, aut in
 Hispaniam transmitteret, aut eam si ultro
 nollet, Regno suo exire compelleret.
 Verum illa satius duxit, ad Ferrariæ
 Ducem confugere, quam in Hispania
 morari,

§. XC.

*Ad firmanda pacta Oratores in Fran-
 ciam missi.*

Ferdinandus firmatis utrinque pactis, Marian. ib.
 die vigesima quinta Augusti Segovia
 in Franciam decrevit Joannem de Sil-
 va Cifuentis Comitem, Thomam Malfe-
 ritum, & Enguefram Monachum, qui
 concluso foedere Ludovicum Regem cer-
 tiorem facerent, quod mandata dedisset,
 ut Gallis, qui Neapoli jure belli capti
 detinentur, libertas, Neapolitanis ve-
 ro Proceribus eorum bona restituerentur.
 Verum hæc Regis jussa minime effectui
 data fuere; quippe Proceres exulum spo-
 liis locupletati, ut bona fusi cruoris sui
 pretio comparata tuerentur, mutuam
 armorum societatem pepigerunt. Ea de
 re Prosper Columna graviter conquestus,
 Neapolis Regno excedens, Romam se-
 cessit, ac sua Pontifici detulit obsequia,
 pollicitus, se juncto amicorum suorum
 auxilio hoc regnum occupaturum, illud-
Hist. Eccles. Tom. XXXI. O o que

Sæcul. XVI. que Sedis Apostolicæ Imperio, cui be-
A.C. 1505. neficiario jure obnoxium esset, adjun-
 cturum, si Galliarum Rex jura, quæ in
 illud habere contendit, missa faceret.

§. XCI.

*Archidux de Ferdinandi nuptiis cer-
 tior factus.*

Marian. ib.
 n. 73.

Archidux comperto hoc foedere, quo
 non modo Neapolis, sed etiam Ar-
 ragoniæ Regno, si Germana prolihus foe-
 cunda foret, se excludi probe cognove-
 rat, indignatione exardescibat, nihilo-
 minus dolori suo imperabat. Ceterum
 Vilvordum Lopez de Conchillos, qui
 Palenciæ Episcopo ab Epistolis erat, car-
 ceri mandari præcepit, eoquod is Joannæ
 Archiducissæ jussu Ferdinando literas de-
 disse, quibus eum Joanna rogabat, ut
 Castellæ Regni administrationem in se
 fusciperet, in hoc supremæ voluntati Isæ-
 bellæ Matris suæ obsecundaturus. Fer-
 dinandus, ut Lopezii de Conchillos li-
 bertatem efflagitaturus, ad Archiducem
 literas exarrare posset, connubii sui oc-
 casione utebatur, atque epistolam suam
 Petro de Ayala Protonotario Apostolico
 deferendam committebat; huic in Flan-
 driam venienti junctus est Gomesius de
 Fuenfalida ordinarius in Philippi aula Le-
 gatus; his ergo Ferdinandi jussa integra
 fide

fide exequentibus, Archidux respondit: scul. XVI.
A.C. 1505.
 „ Non convenit mihi, ut Soceri mei nu-
 „ ptis obsistam, aut eidem leges dictem,
 „ cum vero Lopezius ex famulis meis
 „ mercede conductis unus sit, pro jure
 „ meo eum propter scelera sua custodiæ
 „ tradi jussi, ejusque impudentiam ca-
 „ stigabo. „

§. XCII.

*Consalvus in Hispaniam reverti
jussus.*

Post hæc Comes de Cifuentes, quem
 Ferdinandus Oratorem suum in Fran-
 ciam nominavit, Hispania profectus die
 duodecima Octobris Blefi in Galliis fœ-
 deri subscripsit, quod idem die decima
 sexta ejusdem mensis Segoviæ utrinque
 ratum habebatur. His peractis Ferdi-
 nandus confestim probatæ fidei virum in
 Italiam decrevit, qui Consalvo pacis con-
 fectæ nuncium deferret, juberetque, ut
 nulla mora in Hispaniam reverteretur;
 cum ibi maxime necessaria essent illius
 consilia; interea autem Rex clam Cæ-
 sar-Augustanum Archiepiscopum Neapo-
 lis Pro-Regem nominabat; Consalvus
 accepto nuncio pacem promulgari jussit,
 atque Legato respondit, se sine moræ di-
 spendio in Hispaniam rediturum, quod
 tamen minime exequabatur, sive quod
 cun-

Sæcul. XVI. cunctatione Ferdinandi animum mutari
A.C. 1505. speraret, sive quod tempestatis injuria
 navem conscendere prohiberetur: inde
 nata est ejus inimicis nova Consalvum
 criminandi occasio. Hic quidem tum
 Lopezium de Vergara suum a Secretis
 Ministrum in Hispaniam ablegavit, ut ab
 ipso Rex Catholicus de rerum statu in
 Neapolis Regno edoceretur, eique Pro-
 Regis sui fides, atque integritas testata
 fieret. Verum cunctis, iisque splendi-
 dis Lopezii verbis exigua admodum fi-
 des adstruebatur.

§. XCIII.

*Raymundi de Perault Cardinalis
 obitus.*

Gall. Christ.
Gall. purp.
Aubery hist.
Card.
Hoc anno die quinta Septembris Ray-
 mundus Peraultus Cardinalis, Vi-
 terbii mortalitatem exiit, annos natus
 septuaginta. Studiorum cursum in Gym-
 nasio Navarrico, cujus alumnus erat,
 adeo felici progressu confecit, ut juxta
 nonnullorum opinionem ejusdem Colle-
 gii Doctor creatus fuerit. Inde Romam,
 quo negotio ignoratur, profectus, ab In-
 nocentio VIII., qui viri merita perspecta
 habuit, nuncius in Germaniam decernit
 tur ad colligendas pro bello Turcico
Chron.
Spanheim.
ann. 1502.
 Fidelium eleemosynas, minus prospero
 tamen Legationis suæ successu; nihilo-
 minus

minus Maximiliano Cæsari in paucis ca Sæcul. XVI.
 rus, ad ejus preces Gurcensis Ecclesiæ, A.C. 1505.
 cui Santonensem adjunxit, Episcopus
 renunciatus est: Hic idem in suo in Ger-
 maniam itinere Cronacii a cujusdam ru-
 stici Filio bonis suis, ac aliqua parte col-
 lectæ pecuniæ, residua vero portione a
 quodam Parocho Friburgensi spoliaba-
 tur, qua jactura summe affligebatur Ray-
 mundus, eo vel maxime, quod ab ob-
 trectatoribus hasce pecunias in alios usus
 pro libitu distraxisse reprehenderetur: In-
 terea vero ambo fures comprehensi, cri-
 menque confessi, debitas furti poenas de-
 derunt. Anno millesimo quadringente-
 simo nonagesimo tertio Raymundus ad
 instantes Maximiliani perces purpura or-
 natus est: cum vero quidam Canonicus
 Bambergensis nomine Theodoricus de
 Monrang impius, ac juratus Clericorum
 hostis contra eos infamem libellum, cui
 titulus: *Presbyterorum Passio*, edidisset,
 illum Cardinalis Norimbergæ pro merito
 culpæ castigari præcepit. Demum Ju-
 lio II. mandante Viterbiensem Legatio-
 nem obiit, ac in grati animi testimonium
 Collegio Navarrico, eoquod illius alum-
 nus esset, ut ipsemet fatebatur, Sancto-
 rum reliquias donavit. Posteritati reli-
 quit binas prorsus insignes epistolas, quas
 acutissimis podagræ doloribus affectus,
 in suo itinere in Germaniam exarravit,

Sæcul. XVI. præterea eorum, quæ Lubecæ, ac in
A.C. 1505 Dania gessit, historiam concinnavit, nec-
 non tractatum de sacerdotali dignitate
 super omnes Reges edidit.

§. XCIV.

*Filia ex Joanna Archiducissa
 progenita.*

Marian. lib. **M**ense Septembri ad medium vergente
 28. n. 77. Joanna Regina Archiducis conjux
 enixa est Bruxellis Filiam, quæ nomine
 Mariæ insignita, progressu temporis Lu-
 dovico Hungariæ Regi nupsit. Ferdinan-
 dus accepto hoc nuncio nulla mora suo-
 rum Aulicorum quemdam in Flandriam
 decrevit, qui ob Regiæ Filiae nativita-
 tem Archiduci, ejusque conjugii officio-
 sam gratulationem exsolveret. Ipsa
 hæc Legatio pacificæ compositioni occa-
 sionem, initiumque præbuit, eamque
 opportunitatem Archidux in rem suam
 vertere videbatur, ut hac via Hispaniam,
 cujus aditus ubique interclusi erant, una-
 cum Conjuge sua repetere posset: qua-
 propter ad Regem Catholicum ablegabat
 Manuelem, Virum inter ceteros fallendi
 dexteritate longe celeberrimum. Hic fal-
 so exposuit Ferdinando, quod ejus ho-
 stes, ut implacabile odium Regem inter-
 & Archiducem suscitarent, nil intentu-
 tum reliquissent, ac Galliarum Regi sug-
 gessit.

gessissent, confictum esse Isabellæ testa- Sæcul. XVI.
 mentum; de cetero aiebat Manuel, Ar- A.C. 1505.
 chiducem haud gravate se Regis arbi-
 trio hac in re commissurum, id tamen
 unice ab illo rogare, ne saltem progressu
 temporis Castellani Regni successio ipsius
 prolibus controversa esset. Rex Catho-
 licus hac Manuelis oratione stupefactus
 reposuit, nunquam admissurum se, ut a
 Genero suo obsequiorum amplitudine su-
 peretur, ac propterea honorem sibi libe-
 raliter exhibitum mutuæ benevolentiae
 argumentis se compensaturum: ad hæc
 respondit Orator, quod Archidux dun-
 taxat efflagitet, ut Regis titulus ipsi tri-
 bueretur, & viginti quinque Ducatorum
 millia pensionis nomine ex Castellæ redi-
 tibus percipienda, eidem darentur, nec
 non ab eis, qui lapsu temporis illius sub-
 diti futuri essent, homagium recepturus
 in Hispaniam vocaretur. Nulla mora has
 condiciones acceptabat Ferdinandus, at-
 que Archidux rem edoctus unicas in eo
 curas intendit, ut itineri sese accingeret.

§. XCV.

Archiducis iter in Hispaniam.

Ergo in omnibus Zeelandiæ portibus Havens an-
 validam classem instrui jubet, nil mo- nal. Brabant.
 ratus Regis Franciæ preces, qui misso
 ad eum legato iter differri rogabat, do-
 nec

Sæcul. XVI
A.C. 1505

Marian. lib.
28 n 80.
Et 81.

nec litem cum Socero suo composuisset; ast ipso consentiente Ferdinando cuncta sublata erant obstacula, aliunde discessum maturabant, impensæ potissimum Castellæ Procerum sollicitationes, qui Archiducem, ut in Hispaniam veniret, repetitis literis stimulabant: igitur cum in omnibus Belgii portibus plusquam sexaginta naves penitus instructæ in anchoris hæerent, cunctis in Zeelandia convenire jussis, Archidux unacum Regina conjuge sua die octava Novembris Bruxellis profectus est: cum vero Zeelandiæ detineretur, Legatos suos in Hispaniam decrevit, suo nomine cum Ferdinandi Regis Oratoribus plena transigendi potestate munitos: Articulos autem, de quibus inter eos conventum, integros Mariana recitat. Hi ad septem capita reducuntur, hujusque scederis, quod conclusum, ac die vigesima quarta Novembris utrinque firmatum est, Sponsors summus Pontifex, Imperator, & Angliæ ac Lusitaniæ Reges nominabantur.

§. XCVI.

Novem Cardinales a Papa creati.

Alf. Ciacon.
Et Paris de
Grassis tom.
1. p. 246. Cum Julius Papa Cardinalium numerum, qui cum plurimum obitu imminutus est, resarcire cogitaret, hac de re Ludovicum XII. missis ad eum literis die prima

prima Decembris certiozem fecit, duo-
 decima vero ejusdem mensis novem
 Prælatos purpura donavit, quorum no-
 mina sunt. I. Carolus Dominicus de
 Carreto, ex Marchionibus Finarii, pa-
 tria Genuensis, Archiepiscopus Turonen-
 sis & Rhemensis, Cardinalis tit. S. Viti,
 mox S. Cæcilie. II. Marcus Vigerius
 Savonensis, Senogalliensis Episcopus tit.
 S. Mariæ trans Tyberim, & Episcopus
 Prænestinus. III. Leonardus Ruverius
 Savonensis, Sixti IV. Papæ Ne-
 pos, Agennensis Episcopus, primo tit.
 S. Susannæ, demum S. Petri ad vincu-
 la, & Major Pœnitentiarius. IV. Ro-
 bertus Guibe, natione Gallus, primo
 Rhodonensis postea Nannetensis Episco-
 pus tit. S. Anastasiæ. V. Antonius Fer-
 rerus, patria Savonensis, Episcopus Eu-
 gubinus, tit. S. Vitalis. VI. Franciscus
 Alidosius Forocorneliensis, Episcopus
 Papiensis & Bononiensis, tit. S. Cæci-
 liæ. VII. Gabriel Gabrieli, patria Fa-
 nensis Urbinatensis Episcopus, tit. S. Pra-
 xedis. VIII. Fatius Sanctorius, Cese-
 natis Episcopus, tit. S. Sabinæ, Pam-
 pilonensis Ecclesiæ Administrator. IX.
 Sigismundus de Gonzaga, Mantuæ Epi-
 scopus, Cardinalis Diaconus S. Mariæ
 novæ.

3æcul. XVI.
 A. C. 1505.

Raynald. an.
 1505. n. 41.

Sæcul. XVI.
A.C. 1506.

§. XCVII.

*Archidux ex Zeelandia portu solvit
in Hispaniam.*

Marian. ib.

Prima die hujus anni millesimi quingentesimi sexti foedus, quod die vigesima quarta Novembris anno elapsolancitum erat, Salmanticæ promulgatur. Hoc facto Archidux cum Conjuge sua, conscensa plusquam octoginta navium classe, Middelburgi in Zeelandia die octava Januarii portu solvit, Belgici autem regiminis curam Guilielmo de Croy Cerviæ Domino demandavit; Joannem vero Manuelem, Ferdinando minus acceptum, itineris comitem selegit.

§. XCVIII.

*Archidux tempestatis vi in Angliam
ejectus.*

*Marian. lib.
28. n. 81.
Bacon hist.
regni Henri-
ei VII.*

Cum vero navigatio tempore admodum iniquo inchoata esset, Archidux, ejusque conjux, quæ secum Ferdinandum secundo genitum filium ducebat, non nisi biduum secundis ventis procurrerant, tertio vero die immutata repente maris fide, disturbatus procelis, Austrisque furentibus aer classem dissipavit, tresque illius naves absorpsit, ceteris vero omnibus in varios Angliæ, & Bri-

Britanniæ portus depulsis. Actuaria, Sæcul. XVI. A.C. 1506.
 qua Archidux vehebatur, cum aliis quatuor navigiis in Væymathii portum eji-
 ciebatur, moxque terrore rumore ad
 maris oram effundente, Tranchardus
 Eques cum copiis suis accurrit, comper-
 toque adverso Archiducis casu eum om-
 ni obsequiorum genere exceptit. Henri-
 cus quoque Rex re intellecta Arundeli-
 um Comitem eo ablegavit, dato negotio,
 ut Archiducem Vindesorium, ubi tum
 Rex Angliæ agebat, deduceret, ubi
 ambo, habito primo colloquio summis
 amicitiae, ac mutuæ venerationis signi-
 ficationibus sese invicem complecteban-
 tur, Rege unice intento, ut Archidu-
 cem, qui tres menses, & amplius ibi-
 dem morabatur, variis oblectamentis re-
 crearet, donec laceræ naves reficeren-
 tur. Eadem occasione Henricus VII.
 opportune usus commercii pacta jam olim
 in favorem Anglorum cum Archiduce
 inita innovavit, mutatis quibusdam, iis-
 que huic Nationi proficuis conditionibus.

§. XCIX.

*Suffolciæ Comes ab Archiduce An-
 gliæ Regi traditus.*

Absoluto hoc negotio, Henricus haud
 dissimulanter Philippo exposuit, se
 nuptias cum Margaritha Archiducis So-
 rore,

Secul. XVI.
A. C. 1506.

rore, ac Sabaudiae Ducis anno priori factis functi Vidua animo constituisse. Placuit Philippo Regis consilium, unde die vigesima Martii connubium Vindeforij firmatum est: attamen gravioris longemomenti negotium, quod Archiduci communicaret, Angliae Regis animum stimulabat; quippe Eduardus Polus Suffolciae Comes, qui in Flandriam secesserat, unicus superstes erat, Anglicae coronae aemulus; huic equidem Archidux ad Henrici preces custodiae loco Namurcensem assignabat civitatem, Regi tamen eundem suo arbitrio committi praeponebat, idque, ut se obtenturum speraret, praesens rerum vicissitudo colladebat: quare Philippo rem exposuit, qui tamen id se facturum negabat; non enim sine honoris sui dispendio Principem, quem in fidem suam recepisset, hostis sui vindictae litare posse ajebat. Henricus preces ingeminat, tantaque importunitate obsecrat, & instat, ut Archidux Suffolciae Comitem tradere sponderet, ea tamen lege, ut illius vitae cautum esset. Henricus hanc conditionem haud gravate acceptans, cum Comitem ante Archiducis discessum sibi tradi cuperet, studiose illum distinuit, ut usque ad Comitis adventum moram acquireret. Is vero in Angliam delatus, Londinum abducitur, ibique Turri includitur, & Henricus

Bacon. ibid.
Oforius l. 4.
Guicciard.
lib. 7.

ricus quidem integra fide promissis ste- Sæcul. XVI.
 tit, ejus tamen Successor Comitem ca- A C 1506.
 pite plecti jussit. Ceterum Philippus in
 Anglia usque ad Aprilis finem commo-
 ratus, tandem in Castellam profectus est.

§. C.

*Connubium Ferdinandi cum Germana
 de Fuxo,*

Archiduce interea in Anglia detento, Marian. lib.
 Ferdinandus nuptias iniit cum Ger- 28. n. 85.
 mana de Fuxo, ad connubiale thorum
 die decimo octavo Martii deducta. Ex
 Gallis adventantem comitabantur Ludo-
 vicus de Ambasia Albiensis Episcopus,
 Hector Pignatellus, & Petrus Sanan-
 dreæus; cum vero Germana ex Ferdi-
 nandi Sororis Filia progenita esset, ac
 Aviam haberet Eleenoram Navarræ Re-
 ginam Regis Catholici Sororem, hoc
 cognationis vinculum sponsum, atque
 sponsam a nuptiis arcebat, proin illud
 submoveri a Sede Apostolica petebatur:
 huic tamen petito ægre admodum an-
 nuit Pontifex, Imperatore, ejusque Fi-
 lio Archiduce vehementer obluctantibus.
 Ceterum Salernitanus, & Melfitensis
 Principes, ceterique Neapolitani Proce-
 res Gallorum partibus addicti Hispaniam
 petebant, sponsam secuturi, cujus æta-
 tis vigor, ac solida corporis habitudo
 Regi

Sæcul. XVI. A.C. 1506. Regi Catholico futuri hæredis felicitatem pollicebatur; nihilominus improlis decēsit, unde liberi, quos ex primis Isabelæ nuptiis susceperat, Neapolis Regno successerant, insuper Castellæ atque Aragoniæ coronis aucti, quæ demum regna unacum S. R. Imperii diademate Carolo Lucemburgico obtigerant.

§. CI.

Archidux cum Conjuge sua in Hispania.

Marian. lib.
28. n. 86.

Peractis connubii solemnibus paulopost Archidux, ejusque conjux in Hispaniam venerant, ac die vigesima octava Aprilis in portu Caronii appulsi, in terram exscenderunt. Ferdinandus viam, quam teuebant, rationem edoctus, Molinam usque, quæ urbs est unius diei itinere Compostella distans, eis obviam processit, spe fretus, illos quoque saltem uno pariter die adventum maturaturos, ut Regem exciperent. Jamjam præcesserant Regni Proceres, novum Regem suum salutaturi; hos haud segnus, moxque sequebantur ceteri aliquamdiu apud Ferdinandum commorati, unde Rex in unius die spatio passim ab omnibus derelinquebatur, adeo, ut in comitatu suo nonnisi Toletanum Archiepiscopum, Albæ Ducem, Connestabilem, ac Castel-

Castellæ Admiralem, necnon Deniæ Secul. XVI. A.C. 1506.
 Marchionem recenseret, ac ne quid do-
 loris cumulo deesset, Archidux nequa-
 quam Molinam petebat, Socerum suum
 visurus, sed devio itinere cum omnibus
 Aulicis suis Burgos contendit, non sine
 summa Ferdinandi indignatione, qui in
 querelas contra novum Regem effusus,
 atque in Manuelem impotenter excan-
 descens, se in utrumque gravis vindictæ
 iram exoneraturum, comminabatur. To-
 letanus Archiepiscopus, ut Philippum
 metu liberaret, Auriæ illum convenit,
 ab eoque perbenigne exceptus, secreti
 alloquii copiam efflagitavit, idque viri
 precibus datum. Verum Archidux ju-
 rium suorum tenacissimus perstitit, cum-
 que paucis post diebus ille, ejusque
 Conjug Castellæ Reges proclamati coro-
 narentur, Ferdinandus Rex Catholicus
 de componenda utrinque controversia
 agere cæperat, cum Genero suo conse-
 rendi libertatem exposcens.

§. CII.

*Consultatio utriusque Regis Ferdi-
 nandi & Philippi.*

Tota ferme artificiorum fabrica exhau- Marian. lib. 28. uum. 91. & 95.
 riebatur, ut colloquium inter utrum-
 que Regem præpediretur, prævaluit ta-
 men Flandrorum sententia, qui mutuae
 con-

Sæcul. XVI. consultationis copiam fieri exoptabant;
A.C. 1506. ergo congressus decernitur, conditioni-
Gomes. in vi- bus tamen restrictus, iisque Regi Ca-
ta Ximen. tholico adeo molestis, ut illas quiscun-
lib. 3. que alius minus commodi sui studiosus
 rejecisset; obstringebatur etiam, ut ob-
 fides daret, & Regem Castellæ adiret,
 ac sese Generi sui fidei committeret, nul-
 lo dato securitatis pignore, illi vero, qui
 eum comitarentur, haud numero plures
 quam ducenti forent, iique chlamyde ve-
 stiti, inermes, mulisque veherentur. His
 ita sancitis Philippus Senabriam, & Fer-
 dinandus Asturianos veniunt, accessuri
 congressus locum, qui erat parva quæ-
 dam sylva utrique urbi interjacens, ubi
 etiam ambo Reges postera die convenere.
 Philippus Ferdinando propius occurrens,
 primus equo descendere parat, at Rex
 Catholicus illum præveniens, fronte ad-
 serenitatem composita in illius amplexus
 ruit, atque osculo, haudque vulgaribus
 amicitiae signis Generum suum prosequi-
 tur. Absolutis autem primis obsequio-
 sæ salutationis officiis, ambo Reges
 quamdam parvam Eremum, quam di-
 cta Sylva ambiebat, ingrediuntur, ac
 remotis arbitris mutuo conferunt; Ar-
 chiepiscopus enim Toletanus Manuelem,
 quocum Eremum ingressus erat, dextra
 secum abduxit. Hæc gesta fuere die Sab-
 bati vigesima Junii.

Verum

Verum hoc colloquium adeo non Sæcul. XVI. A.C. 1506.
 concordiam reduxit, ut etiam diffiden-
 tium animos magis accenderet; præpri-
 mis enim Ferdinandus proposuit, se qui-
 dem jus percipiendi Castellæ redditus,
 licet ex ultima defunctæ conjugis volun-
 tate sibi debitos, remissurum, regni ta-
 men Granatensis usumfructum omnino
 petiturum; hoc enim, inquiebat ille, re-
 gnum meis est partum armis, populus-
 que me velut suum Regem agnoscit. His
 Philippus paucis respondit: Granata
 rursum juncta Castellæ regno ditionum
 mearum pars est, hæc ergo regna nulla-
 tenus dividenda, nec id unquam, etsi
 consentirem, Castellæ Ordines permit-
 tent. Ferdinandus denuo petito suo in-
 sistens, ad alias condiciones progredi-
 tur; verum Archidux nihil cedere con-
 stituens, intercepto mox colloquio, Fer-
 dinando reposuit, *quilibet re sua contentus
 vivat, nec ego aliam concordiam inire sta-
 tuebam.* Igitur ambo Reges re infecta
 discedunt: id vero oppido mirum, toto
 colloquii tempore, quod binas, & amplius
 horas tenebat, nec unquam Archidu-
 cissæ mentionem fuisse factam, nec Fer-
 dinandum ejus Patrem illius conspectum
 desiderasse, nec ejus Maritum illius
 meminisse.

Sæcul. XVI.
A.C. 1506

§. CIII.

Pacta ab Archiduce proposita a Ferdinando firmata.

Marian. ib.
n. 96.

Ferdinandus Archiducis animum flere desperans, nuncium accepit, qui ei Archiducis nomine significabat, Castellæ administrationem missam faceret, atque in Arragoniam recederet; tunc enim integros haberet supremos trium Ordinum Equestrium Magistratus, quos possideret, nec de ceteris, quæ ei Isabella Regina defuncta in testamenti tabulis legasset, litem esse movendam; acceptatis autem hisce conditionibus ambos pristinam amicitiam restauraturos, atque mutuam armorum societatem signaturos sciret. Annuit Ferdinandus, scædusque die vigesima septima Junii Villafolæ firmavit, eidemque Philippus ejus Gener Benaventi postera die subscripsit. Nihilominus Ferdinandus clam ab hisce pactis provocavit, declarans, se ad ea acceptanda vi, necessitateque compulsam fuisse. Postmodum ad Turrim Sillanam profectus, per universam Hispaniam encyclicas literas secunda Julii datas divulgavit, quibus se Castellani regni administrationem dimissurum declarabat.

§. CV.

Sæcul. XVI. A. C. 1506. dus igitur in Arragoniam revertitur, Rex autem Castellanus versus Vallisoletum iter arripit, ibique aliquamdiu commoratus, Regni Ordines convocat, res suas meliori, quo posset modo, dispositurus.

§. CV.

Castellæ status ab Archiduce mutatus.

Marian. ib.
n. 100. 101.
& 102.

Præprimis Regni Ordines Philippo Archiduci pro sumptibus belli in Mauros ducentorum quinquaginta aureorum millia pollicebantur, infra biennium numeranda. Enimvero hoc erat haud levis momenti subsidium, quod populus nuperi belli calamitatibus dire vexatus ultro offerebat. Postea Philippus cunctis officiis novos præfecit Ministros, unde graves exortæ sunt querelæ, quæ progressu temporis in funestam Catastrophen desinebant; jamque non paucos fera subiit pœnitentia, quod neglexissent Ferdinandum, cujus tamen experientia, atque in tuendo bono regimine, regni-que tranquillitate cunctis perspecta erat prudentia. Interim Castellæ Rex, atque Regina Mense Augusto Vallisoletum abeunt, Segobiam petaturi, medio tamen itinere Rex mutato consilio, Durio flumine vectus, Tudelam venit, primo Burgos, inde Victoriam profecturus, ubi unico

unico oculi ictu evanescere conspicieban-
 tur ingentes, eæque optimæ spes, quas Sæcul. XVI. A.C. 1506.
 populi conceperant de præclaris Regis
 sui dotibus, quibus certe universæ Hi-
 spaniæ felicitatem promovisset, si ætate,
 ac experientia rerum crescente adulatorum,
 qui illum obsidebant, turmam, eorumque
 jugum excutere didicisset.

§. CVI.

*Philippi Archiducis, Castellæ Regis
 obitus.*

Cum Burgis Præfectura arcis vacaret, Mariana lib.
 Philippus eam Manuelli detulit, qui 28. n. 106.
 in grati obsequii pignus Archiducem Petr. Mart.
 sumptuoso excepit convivio, quo absolu- tyr. de An-
 to cum ciborum concoctio impediretur, gloria epist.
 mox pilæ minoris ludo diutius indulfit; 284. 312. & 316.
 cum vero ob violentum hujus exercita-
 tionis motum vehementer sitiret, & ob
 fitis impatientiam potum deposceret, vi-
 num glacie dilutum illi propinabatur: ast eo
 liberalius hausto Philippus ex ludi loco di-
 scedens, corpus frigoris horrore concuti
 sensit, postea æstu, febrique concussus,
 acutissimos lateris dolores patiebatur, ac
 quarta demum die delirium passus, mor-
 bi vehementiæ succubuit, cunctisque
 remediis nequicquam adhibitis, sexta
 valetudinis die vigesima quinta Septem-
 bris hora post meridiem prima animam
 red-

Sæcul. XVI reddidit, anno ætatis suæ vigesimo octa-
A.C. 1506. vo, regni secundo. Populi rumoribus,
 ut in ejusmodi subitis casibus evenire so-
 let, mox divulgatum, Regem veneno
 fuisse sublatum, id tamen incertis omni-
 no sermonibus, nulloque prorsus firmo
 testimonio spargebatur, prout Regis Me-
 dici affirmabant. Ceterum Philippus
 Granatæ sepeliri voluit, paratis tamen
 exequiarum solemnibus interea corpus
 ejus translatio funere ad Miraflores Bur-
 gense Chartusianorum Monasterium tu-
 mulo depositum est.

§. CVII.

*Ferdinandus a Castellæ Ordinibus
 Regni Moderator procla-
 matus.*

Justis Philippo solemnibus pompa perfolu-
 tis, Castellæ ordines comitia agebant
 deliberaturi de Regni Administratore seli-
 gendo usquedum Carolus Luxemburgicus
 Philippi filius natus major, sublato ætatis
 vitio, imperando aptus esset. Nonnulli
 duobus hæc cura jure demandari pote-
 rat, nimirum Maximiliano Imperatori,
 Avo ejus paterno, & Ferdinando utpote
 Avo ex parte Matris. Priori tamen le-
 gibus eo potiori nomine adstipulari vide-
 bantur, cum is certo speraret, quod sibi e-
 tiam septendecim Belgii Provinciarum
 regi.

regimen committendum foret, quippe ^{Sæcul. XVI.}
 æquale omnino jus ad Castellæ regnum ^{A. C. 1506.}
 eidem suffragabatur; sicut enim Cæsar
 per Mariam de Burgundia Philippi Ar-
 chiducis Matrem acquisivit jus, vi cujus
 in Belgio succederet, ita etiam certum,
 de quo agebatur, in Castella succedendi
 jus obtinuit per Joannam de Arragonia
 Caroli Archiducis Matrem: Ipse quoque
 Manuel aperte favebat Cæsari, nihilo-
 minus tamen Archiepiscopus Toletanus
 mira dexteritate Castellæ Proceres eo
 inclinabat, ut totius Cleri suffragia, nec
 non omnes trium Ordinum Equestrium,
 quorum Magisteriis insignis erat, Com-
 mendatores in Ferdinandum Regem Ca-
 tholicam conspirarent, quorum quoque
 exemplum tertii Ordinis Deputati imita-
 bantur: unde Ferdinandi Regis adver-
 sarii, numero longe inferiores, cum se ar-
 morum potentia demum compelli præ-
 viderent, ultro suis quoque suffragiis ad-
 stipulati sunt. Ergo, priusquam comi-
 tia solverentur, diploma conficiunt, fir-
 mantque, statusque administrationem us-
 que ad Arragoniæ Regis adventum
 Archiepiscopo Toletano committunt, qui
 susceptam Castellani Regni curam non-
 nisi quinto vix mense a se amoliri per-
 mittebatur.

Sæcul. XVI.

A.C. 1506.

§. CVIII.

*Dementia Joannæ Castellane Archiducis Viduce.**Petr. Martyr. l. cit. l. 19. epist. 324.**Marian. lib. 28. §. 29.*

Ceterum crescente indies Joannæ Reginae dementia, Rex Catholicus illius sanationem, (ut præfertur) parum cordi habebat, veritus, ne recuperata mente illum in Arragoniam redire juberet: Attamen post conjugis sui obitum a sanitate penitus aliena continuo in custodia detineri debuerat. Illa constanter literis, quibus Castellani Ordines pro feligendo Castellæ Rectore convocabantur, subscribere recusabat; verum in superhabita ejus repugnantia præterea deliberatum, an non legitimo testimonio regiminis impotens declaranda esset; id tamen minime factum, absterrente Regiæ Domus reverentia, atque honore: ipsamet tamen Regina mentis suæ imbecillitatem studiose palam facere videbatur, quamvis alii omni sollicitudine eam tegere satagerent: quinimo die omnium Sanctorum festo ad Miraflores Carthusianos, ubi Mariti sui corpus depositum erat, accedere constituit, fisisque orationibus, sepulchrum omnino aperiri voluit, ut funesto conspecti conjugis solatio frueretur. Non verbis, non precibus, nec rationibus parcebant adstantes

stantes, ut Reginam a proposito dimo-
 verent: ast surdas pulsabant aures; adeo
 enim non cessit eorum monitis, ut ira ex-
 candescens, additis etiam minis iussa
 exequi præciperet. Ergo sepulcrum
 aperitur, extrahitur feretrum, advoca-
 tur Papæ Nuncius, necnon Cæsaris, Re-
 gisque Catholici Oratores, atque Episco-
 porum nonnulli, & quamquam defuncti
 cadaver vix humani corporis speciem
 præferret, Regina tamen illud defixis
 oculis contemplata frequentiori tactu
 explorabat, quin vel ullæ per dolentis
 genas defluerent lacrimæ. Hoc facto
 feretrum clauditur, illudque Regina serico,
 auroque intexto velo obtegi iussit.
 Narrat Petrus de Angleria, qui tum in
 Hispanorum aula versabatur, quemdam
 Miraflorensem Carthusianum, Reginæ
 gratiam aucupandi studio, eidem spem fe-
 cisse, quod Maritus ejus resuscitandus
 foret: a se enim & alium quemdam
 Regem conspectum ajebat, qui decimo
 quarto post obitum die hoc privilegio
 decoratus fuisset: Regina Monacho fi-
 dem adhibuit, spe tamen sua frustrata
 permansit. Post aliquot temporis spa-
 cium, quamvis partui vicina esset, Bur-
 gis abire constituit, unde accito Toleta-
 no Archipræsule eidem exposuit, se in
 urbe, in qua Conjux ejus mortuus esset,
 haud ultra morari posse, quibus dictis

Sæcul. XV.
 A.C. 1506.

Alvar. Go-
 mes. lib. 3.

P p 5 pro

Sæcul. XVI. pro suo, suorumque discessu cuncta pa-
A C 1506. rari præcepit; hæc iussa exequi oportebat, ac Regina iter arripiente, omnes ejus Aulici illam sequi debebant, quo profectura esset, ignari, & fors ipsamet illius inscia. Tandem ad Miraflorenses Carthusianos contendit, Mariti sui feretrum abductura, illudque quadrijugo curru post rhedam suam devehit; demum Proceres ei auctores erant, ut Vallisoletum peteret: ast medio itinere confecto Turrim-crematam perveniens, ibi sedem figere constituit, in quo pago vigesima post die, decima quarta Januarii, Anno Salutis millesimo quingentesimo septimo Filiam enixa est.

§. CIX.

Consalvus apud Ferdinandum diffamatus.

Marian. l. 28
num. 104. Ferdinandus pace cum Archiduce composita, præsentiam suam Neapolitanis rebus necessariam ratus, priusquam in Arragoniam reverteretur, eo ire decrevit; graves enim adversus Consalvum deferebantur querelæ, unde rei veritatem penitus inquirere, plurimum Regis intererat. Accusationum capita ea erant præcipua, I. Consalvus, inclytus hic Bellidux, clandestina cum Gallis fovisse foedera accusabatur. II. Idem postul-

stulabatur, quod conciliatore Papiensi Sæcul. XVI.
 Cardinale societatem cum Papa inierit, A. C. 1506.
 quin etiam oblatum sibi a Papa Eccle-
 siastici exercitus imperium acceptavit,
 ut tam Bononiam, Joanne Bentivolio
 inde depulso, quam Bononienses a Papæ
 imperio avulsos rursus Ecclesiæ ditio-
 nibus adjungeret; III. Insimulaba-
 tur etiam, quod is cum Columnensibus
 amicitiam restaurare voluerit, ac pro-
 pterea suam filiam Prosperi Columnæ Fi-
 lio junxerit, ut potentissimis hujus fami-
 liæ amicis sibi conciliatis parta tueri,
 atque adversantis fortunæ casus sibi
 jamjam imminentes securius eludere
 posset.

§. CX.

*Consalvus amissa Ferdinandi gratia
 omnibus officiis spoliatus.*

Hiscæ querelis commotus animo Fer-
 dinandus Barcinonem contendit, ac Marian. l. 28
 classem quarta Septembris die conscendit, et 29.
 comitantibus eum Germana Regina
 sua Conjuge, utraque Neapolis Regina,
 ac innumeris ferme Proceribus. Con-
 salvus, cum Regem Barcinone abiisse in-
 telligeret, & ipse Neapoli discedens, ma-
 ri ventis inflato, Cajetam terrestri itine-
 re profectus est, ubi triremes præstola-
 turus substitit, inde vero die vigesima
 Septem-

Sæcul. XVI. Septembris Ferdinandum excepturus,
A. C. 1506. Genuam pervenit, in qua urbe idem de
 morte Castellani Regis nuncium accepit; cum autem hujus Regni administrator, rectorque nominatus esset, in hac rerum vicissitudine suæ auctoritatis præsentiam necessariam fore existimabat, in exigua tamen mora periculum abesse ratus, Neapolis negotia prius discutere, eoque iter prosequi constituit. Ergo Confalvus Regem suum Neapolim sequitur, in fausto tamen felicitatis, ac splendoris sui exitu, quippe Ferdinandus propriæ auctoritatis tenacissimus, ac suspiciosus, criminationibus adversus strenuum hunc Belliducem delatis faciles nimium aures præbuit, illumque Pro-Regis dignitate, exercitusque imperio exuit, ac veluti privatum hominem in Hispaniam secum redire compulit. Nihilominus Confalvus inimicæ fortunæ invidiam tam invicta animi constantia pertulit, ut non minorem sibi moderatione sua gloriam, quam partis de hostibus victoriis conciliaret, quamvis, ita jubente Ferdinando, reliquos vitæ suæ dies otiose, sine officio, & sine præmio transigere cogere, omnesque, quascunque peteret gratias, illi denegarentur, nec aliud a Rege suo grati animi signum reciperet, quam quod ei defuncto Ferdinandus magnificis prorsus exequiis parentaret.

§. CXI.

Sæcul. XVI.
A.C. 1506.

*Procerum expostulatio ob pacta a
Ludovico XII. cum Cæsare
inita.*

In Gallis regni Proceribus minime pro-
babatur foedus a Ludovico Rege cum San. Gelas.
hist. Lud.
Imperatore Blesis Anno millesimo quin-
XII.
gentesimo quarto sancitum, quo nuptiæ
Claudiæ cum Carolo Lucemburgico fir-
mabantur; his enim pactis Austriacæ
Domui Mediolanensis Ducatus, Genuæ,
& Comitatus Estensis possessio affereba-
tur, præter Britannicæ & Burgundiæ
Ducatus, Blesensem Comitatum, alios-
que Principatus, quos Galliarum Rex do-
tis nomine cedere jubebatur, non sine
gravi Franciæ detrimento: quapropter
Proceres collatis inter se consiliis, quos-
dam ad Regem ablegarunt, supplices, ut
convocatis Regni Ordinibus tanti momen-
ti negotium maturiori deliberationi com-
mitteret. Lubens sese inclinavit Ludo-
vicus eorum consiliis, ac Comitia Ordini-
um proximo Mense Majo hujus anni
Turonii celebranda decrevit, quamvis
jamjam Claudia Carolo gemino ac sole-
mni foedere sponsaliumque fide promissa
fuiſſet.

§. CXII.

Sæcul. XVI.
A.C. 1506.

§. CXII.

*Rex in comitiis Turonensibus filiam
suam Engolismæ Duci nuptui
dare rogatus.*

*Claud. Seiffel
in orat. ad
Regem An-
glia.*

*Raynald. ho.
ann. n. 34.*

Ergo Regni Ordines die decima ejusdem Mensis comitia sua auspiciantur, de mediis hac in re adhibendis deliberaturi. Solemne hisce comitiis initium dedit quidam Parisiensis Doctor nomine Bricotus, qui eloquenti sermone ad Regem habito, Ordinum nomine eundem rogavit, ut Filiam suam natu majorem Francisco Engolismæ Comiti proximo regni hæredi nuptui daret, nec Mediolani, ac Britannia Ducatus ad Archiducem devolvi pateretur. Rex in Senatu Ordinum preces discuti jussit, cum vero interea Britannia Ordines ad aulam regiam venirent hac super re Regi libellum porrecturi, censabant omnes, Regem omnino teneri Ordinum votis annuere, nec posse ejusmodi connubio regni bona alienari, nec eundem ullo pacto juramenti religione obstringi, quo filiam suam Lucemburgico Duci in conjugem dare non solum Archiduci, sed etiam Cæsari spondisset, cum id læso subditorum suorum bono promittere haud potuisset. Rex hisce rationibus devictus, fidem dedit, se filiam suam Claudiam haud

haud alteri, quam Engolismæ Comiti pro-
ximo Regni sui Hæredi, nullatenus vero Sæcul. XVI.
A.C. 1506.
Carolo Lucemburgico in uxorem tradi-
turum.

§. CXIII.

*Claudia Engolismæ Comiti
desponsa.*

Rebus ita mutatis, Claudia Ascensionis
Dominicæ festo die vigesima prima Ma-
ji Engolismæ Comiti, præsentem tota Re-
gis curia, desponsatur, Cardinale de Am-
basia sponsalium solemniis assistente; his
peractis Ordines valere jubebantur. E-
jusmodi nuptiis vehementer hucus-
que oblectabatur Anna de Britannia,
utpote implacabili odio Engolismæ Co-
mitem infensa, nihilominus in præsentem re-
rum statum suum erga Franciam affectum
privata indignatione potentior esse
demonstrabat, cum suo quoque assensu
huic connubio haud gravate suffraga-
retur.

§. CXIV.

*Archidux ob has nuptias ira
commotus.*

Postea Ludovicus Rex omnes suos fœ-
deratos de rei gestæ serie edocuit; Auton. hist.
Ludov. XII.
applaudebatur Anglorum Rex; Cæsar ta-
men

Sæcul. XVI. men, atque Philippus Archidux dolorem,
 A. C. 1506. quem inde conceperant, haud reprimere
 re valebant. Ad utrumque Ludovicus

*Nicol Bafelius in addit.
 ad Chron.
 Naucier.*

XII. Franciscum Rochechuartium unacum libellorum Magistro, & quodam Secretario ablegavit, qui ipsum vi adactum fidem violasse ambobus persuaderet; verum Cæsar verbis se pasci adeo facile non patiebatur, sed recentem dignitati suæ injuriam inferri ratus, per Tridentinas Alpes cum valido exercitu in Mediolanensem Ducatum penetrare constituit. Obstitit tamen Hungarorum pertinacia, adversus quos bello distentus, majora moliri præpediebatur. Compulerat equidem Ladislaum Hungariæ, ac Bohemiæ Regem, ut pacta firmaret, quibus ipse Imperator proximus utriusque Regni Hæres, ac successor necessarius renunciaretur, cui rei consentiebant etiam Hungari, atque Bohemi, nihilominus non adeo prona erat ceterorum sese ejus imperio subjiciendi voluntas, quapropter Maximilianus, quos ultro Principis amor non trahebat, armorum vi sibi subjicere compulsus, copias suas ex Tyroli ad Austriam inferiorem admovit, quæ res omnem ejus sollicitudinem sibi vendicabat.

§. CXV.

Secul. XVI.
A. C. 1506.

Henrici consilium de filia sua Archiducis Filio nuptui tradenda.

Cum matrimonium Claudiae cum Carolo Luxemburgico hoc pacto interceptum esset, Anglorum Rex filiam suam eidem in uxorem locandi occasionem inde quærebat: Obstabat equidem Rex Catholicus adolescentis Principis A-Bacon hist. Regni Henrici VII. vus maternus; Hic enim verebatur, ne forte Nepos suus contracto affinitatis vinculo cum Angliæ Rege potentior factus, ejus filios, quos ex secundis nuptiis cum Germana conjuge sua speraverat, leges & jura dictaret.

§. CXVI.

Ferdinandi Regis Catholici rationes hisce nuptiis obsistendi.

Præterea Ferdinandus pertimescebat, ne Carolus Neapolis Regnum a Con-salvo auro Castellano, armisque partum, velut hæreditatem relictam sibi vendicaret, ac obtenderet, quod suus Avus nec illud in ipsius damnum sibi retinere, nec in secundi thori liberos transferre possit. Denique ceteris magis valida erat ratio, quod Ferdinando satis comperta esset
Hist. Eccles. Tom. XXXI. Q q Hen-

Sæcul. XVI. **A. C. 1506.** **Henrici VII. indoles ; unde suspicabatur, ne Anglus, si Carolus ejus filiam sibi copularet, Castellæ administrationem, cum hæc per Patris sui obitum illi obtigisset, Genero suo deferri contenderet; angebat insuper Ferdinandi animum cura profus singularis; is enim timebat, ne Henricus, cum jam dudum pectoris doloribus opprimeretur, auram Anglicam fugiens, magis calidam respirandi desiderio incensus, Castellam redire cogitaret, atque hac opportunitate usus, Castellæ regimen ambiret. Nihilominus cunctis hisce Ferdinandi cavillationibus nihil proficientibus, nuptiæ suam fortitæ sunt effectum.**

§. CXVII.

Ludovici XII. amicitia a Ferdinando expetita.

Interim Ferdinandus, ut Castellæ administrationem sibi ab Ordinibus delatam magis certam redderet, e re sua fore existimabat, si cum Ludovico Galliarum Rege foedus iniret, summumque Pontificem sibi devinciret. Ceterum Ludovicus, cum constanter Julii Pontificis amicitiam foveret, eidem Perusii, ac Bononiæ possessionem denuo asserere meditabatur; quocirca Calvimontio negotium dedit, ut copias suas Pontificiis jungeret. Eo tempore Bononiæ Bentivolus, Peru-

*Marian. l. 29
n. 1. & 2.*

Perusii autem Balionus imperabat, ex Sæcul. XVI.
 quibus priorem Julius sub Pontificatu A.C. 1506.
 Sixti IV. in paucis carum habuit, hoc
 tamen affectu, regnante Alexandro VI.,
 in odium verso, Bentivolius etiam palam
 Julio Pontifici adversabatur; cum enim
 summa rerum potiretur, Gibellinorum
 factioni adhæsit, Julius vero toto vitæ
 suæ tempore Guelfis favebat; Ludovi-
 cus in Bentivolium, & Ballonum æque
 gravibus de causis odio exarserat, ac i-
 pse Pontifex, qui obsequia sibi a Rege
 præstita adeo grata habuit, ut Calvimon-
 tio in præmium laboris octo, duodecim
 vero Ducatorum millia copiis ejus distri-
 buenda elargiretur: Cardinali autem de
 Ambasia, cujus opera Ludovicus suppet-
 tias Pontifici tulerat, dignitatem Legati
 in Francia confirmaret, simulque promit-
 teret, se duos illius Nepotes, quorum
 alter erat Albiensis Episcopus, Purpura-
 torum collegio adscripturum, præterea
 Pontifex edito diplomate ad Ducatus
 Mediolanensis beneficia nominandi jus
 in Regem transtulit. Rege igitur tot fa-
 voribus sibi conciliato, Julius de prospe-
 ro consilii sui successu certus, copias, quas
 ipsemet duxit, conscripsit.

Sæcul. XVI.
A. C. 1506.

§. CXVIII.

*Perusium, & Bononia a Pontifice
recuperata.*

*Guicci lib. 6.
Paris. de
Grassis in
itin Jul. II.
MS. Archiv.
Vatican p. 18*

Igitur Papa primo in Balionum, utpote potentia inferiorem, arma convertit; hic autem, quamvis ceteroquin Vir intrepidus, urbisque valido præsidio, omnique armorum apparatu munitæ Dominus esset, confestim tamen adventanti Julio ambos suos filios obviam misit, qui sese obsides offerrent, ac delicti veniam exorarent. Pontifex horum terrorem in rem suam vertens, Baliono non nisi suppellectilem suam, gemmasque Perusio secum auferre indulgit; Bentivolius quoque haud minori timore percussus, Sanctitatis suæ clementiam implorabat, cui Papa ex terris, quas Majores ejus intra Bononiensem ditionem adepti fuerant, redditus percipere concessit, copiamque fecit, ut quicquid deferre posset, secum acciperet, ac ipse in Mediolanensem Ducatum secederet; unde plaustris partim ab ipso Pontifice ad ejus preces suppeditatis, partim pretio conductis unius diei spacio totam suam suppellectilem abduxit. Eo abeunte summus Pontifex Bononiam ingressus, novo Magistratu constituto, Claves pluribus privilegiis auxit, ut Sedis Apostolicæ dominatum, quem sinistra opinio-

opinione jugum grave existimabant, mi- Sæcul. XVI.
 tiorem redderet. Iisdem etiam favori- A.C. 1506.
 bus Perusinos cumulabat.

§. CXIX.

*Auspicia Fabricæ Basilicæ ad S. Pe-
 trum Romæ.*

Cum Ecclesia S. Petri in Vaticano a
 Constantino erecta ruinis fatisceret, *Bullar. Jul*
 Julius II, Pontificatum suum magnifico *II. Constit. 25*
 opere illustraturus, pium cepit consilium, *§ 28 p. 228.*
 quo hanc Basilicam augustiori forma *Raynald.*
 fundamentis erigendam curabat. *hoc ann.*
 Deli- *n. 45.*
 neavit totius molis formam celeberrimus
 Bramantes, qui priscae architecturæ ni-
 torem in Italiam reduxit. Ergo ad ma-
 turandum hoc opus Julius indulgentias
 concessit omnibus, qui stipem in sumptuo-
 sissimam hanc fabricam erogaturi es-
 sent. Id ipsum quod a Julio cæptum
 erat, certatim a Romanis Pontificibus
 deinde variis, iisque pretiosissimis orna-
 mentis decoratum est, adeo, ut templum
 arte ac magnificentia toto orbe celeberrimum
 exurgeret; præterea summus
 Pontifex decima octava Aprilis, quæ e-
 rat in Paschatis hebdomada Sabbati dies,
 ad exorandam Dei gratiam pro perficiendo
 tanto opere solemni ritu sacrum
 celebrari jussit, quo peracto primum hu-
 jus ædificii lapidem ipse posuit, Cardi-
 nali-

Q q 3

nali-

Sæcul. XVI. nalibus, atque innumeris ferme Prælatibus, atque innumeris ferme Prælatibus assistentibus. Hoc opus Julius Papa aggressus est, *Jesu Christi Salvatoris nostri monitu*, ut ipse censebat, testaturque in suis literis ad Henricum VII. Angliæ Regem datis, in quibus illum de cæpto ædificio, atque præfata solemnitate certiore reddidit. Equidem illud Templum, se adhucdum superstite, omnino perficiendum sperabat; aliter autem Dei nutu, consilioque actum est, cujus decreta persæpe ab hominum propositis plurimum discrepant; Julius enim jactis vix primis ædificii fundamentis, invidia mortis ereptus est.

§. CXX.

Ordo FF. Minimorum a Papa confirmatus.

Papebroch.
p. 209.
Spond. ann.
1506. n. 8.

Idem Pontifex ante obitum suum die vigesima octava Julii Ordinem Fratrum Minimorum, a suis Prædecessoribus jam antea approbatum confirmavit. Ejusdem institutum Alexander VI. circa Annum millesimum quadringentesimum nonagesimum secundum ratum habebat, ac nomine, quo prius Eremitæ S. Francisci de Paula nuncupabantur, immutato, Fratres Minimos appellari voluit, quod idem Sancto Ordinis Parenti præplacuit. In Gallis tamen continuato usu *boni Viri*.

ri, & S. Franciscus *Vir bonus diceban-* Sæcul. XVI.
 tur. Ejusdem regula, quæ triplex est, A. C. 1506.
 nimirum pro Religiosis, Sanctimoniali-
 bus, ac tertii Ordinis Personis, tribus,
 aut omnino quatuor vicibus recognita
 fuit, donec tandem omnem, quæ requiri
 credebatur, perfectionem adeptæ, Anno
 Domini millesimo quingentesimo sexto
 stabilita, atque a Julio II. confirmata es-
 set, prout Franciscus de Paula Romæ
 viginti quatuor omnino annis antea præ-
 dixerat. Hunc ordinem postea Carolus
 VIII. & Ludovicus XII. Galliarum Re-
 ges crebris favoribus auxerunt; Ludo-
 vicus quoque, cum ferme semper aula
 sua absens esset, Sancto Viro in Italiam
 revertendi copiam primo fecerat; postea
 vero pretiosissimum, quem ex ejus absentia
 amitteret, thesaurum intelligens, con-
 cessam veniam revocavit, ac Prædeces-
 sores suos beneficiorum amplitudine, at-
 que affectu erga Sanctum, ejusque Fi-
 lios superare gestiebat, nec parciore-
 rat Reginæ liberalitas, debetque hic
 Ordo magnam incrementi sui partem
 Cardinali de Ambasia insigni ejusdem
 Protectori.

§. CXXI.

Christophori Columbi obitus.

Hoc anno Mense Majo Christophorus *Marian. lib.*
 Columbus Vallisoletæ mundo valedi- 28. n. 88.
 Q q 4 xit,

Sæcul. XVI xit, anno ætatis suæ sexagesimo quarto:
 A.C. 1506. ejus corpus Hispalim ad Carthusianos, ut
 ipse testamento caverat, delatum est.
 Hic quamvis cum omnibus suis posteris
 a Rege Catholico Nobilium Ordini ad-
 scriptus fuisset, nihilominus obtrectato-
 rum invidia eundem regiæ suæ Majesta-
 ti adeo invisum reddebat, ut nonnisi an-
 te obitum suum Regis gratiæ, ac favori-
 bus restitueretur. Superstites reliquit
 Beatricem Henriquez conjugem suam
 unacum duobus filiis, Didaco, & Ferdi-
 nando, qui posterior sacro Presbyteratus
 ordine initiatus est, Didacus vero filium
 suscepit, Ferdinandum nomine, qui cæ-
 lebs vita excessit. Christophori Colum-
 bi Historiam descripsit Ferdinandus ejus-
 dem Filius, quam Alphonsus de Ulloa
 Italico idiomati reddidit, ac ferme non-
 nisi hæc illius versio jam altero prælo
 Venetiis recusa nobis innotescit.

§. CXXII.

*Alexandri Poloniæ Regis ex-
trema.*

Michov. lib. 4 Eodem quoque anno Alexander Polo-
hist. Polon. niæ Rex Casimiri II. filius, ac Joan-
c. 82. nis Alberti Regis frater, cui Anno mil-
 lesimo quingentesimo primo successerat,
Cromer. l. 30. vitæ suæ curriculum absolvit, fatis fun-
 ctus die decima nona Augusti, anno
 ætatis

ætatis suæ ferme quadragesimo quinto, Sæcul. XVI.
 postquam nonnisi quinque annis sce- A.C. 1506.
 ptrum rotasset. Primo Magnus Lithua- Raynald. ad
 niæ Dux erat, ac Lithuani, quamvis hæc hunc ann.
 gens alias Polonis summe infensa ef- num 38.
 set, duas tamen hæc Provinc- Et 39.
 cias conjungi consenserant, ea vero lege,
 ut in electione Regis, quæ in Polonia
 fieret, & ipsi Lithuani confessus, ac suf-
 fragii jure potirentur. Alexandrum
 Fridericus Cardinalis Archiepiscopus
 Gnesnensis Cracoviæ inaugurabat, ejus
 tamen uxori Helenæ, Joannis magni
 Moscoviæ Ducis anno priori defuncti fi-
 liæ, quod ritum Græcum sectaretur,
 diadema de more Regis dari solitum mi-
 nime impositum est. Præterea Alexan-
 der Socerum suum, ut cum Lithuanis
 sex annorum inducias pacisceretur, com-
 pulit: Boydanum quoque Stephani Vala-
 chiæ Palatini filium, ac Tartaros, ne
 ultra populabundi excurrerent, compes-
 cuit, imo priusquam moreretur, non sine
 ingenti solatio nuncium accepit, Tarta-
 ros a Michaele Glinski cæsos, fugatos
 fuisse, desideratis eorum viginti millibus.
 Nullas ex Helena conjugæ suæ proles su-
 scepit, unde eidem Sigismundus I. ejus
 frater successit.

Sæcul. XVI.
A. C. 1506.

§. CXXIII.

*Finis Historiarum Michovii &
Cromeri.*

*Vossius lib. 3.
de Hist. Lat.*

Porro in Sigismundi electione tam Matthias Michou, seu Michovius, quam Martinus Cromerus Historiis suis de rebus Polonorum finem imposuerunt. Horum primus artis medicæ Doctor, Cracoviensis Canonicus, atque insignis Astronomus erat, suumque Poloniæ Chronicon Sigismundo Regi nuncupabat: Præterea alios duos scripsit commentarios, unum de Sarmatia Europæa, alterum de Asiatica, qui libri cum aliis quibusdam novi Orbis relationibus Anno Salutis millesimo quingentesimo trigesimo secundo Parisiensibus literis excusi prodierunt. Martinus Cromerus, qui Sigismundo ab epistolis, demum defuncto Hosio Cardinale Episcopus Warniensis renunciabatur, suam quoque Rerum Polonicarum historiam in triginta libros divisam ab Anno Salutis quingentesimo quinquagesimo concinnavit, quartamque ejusdem editionem Anno Domini quingentesimo octogesimo sexto supra millesimum ipse adornavit; Mortuus creditur die decima tertia Martii Anno millesimo quingentesimo octogesimo nono.

*Miræus de
Script.
Sæcul. XVI.*

Aliud

Aliud præterea scripsit opus de situ Po-
loniæ, & de gente, ac moribus Polono-
rum, necnon quosdam tractatus Polemi-
cos adversus Protestantes item collo-
quia de vera, & falsa Religione in qua-
tuor libros, & de cælibatu Sacerdotum,
Ultima ejusdem Historiæ editio, quam
adhuc vita superstes concinnavit, nuncu-
pata est Stephano Batorio.

Sæcul. XVI.
A.C. 1506.

§. CXXIV.

*Alphonfus Alburquercius a Lusit-
tano Rege ad Indos
missus.*

Hoc anno Emanuel Lusitaniæ Rex *Barros dec. 2*
celeberrimum Alphonsum Albur-*lib. I. c. I. & 2.*
quercium, qui rebus præclare gestis *Ma-
& lib. 2.*
gni nomen emeruit, Legatum ad Indos
Occidentales decrevit, ut Almeidæ in
Pro-Regis dignitate succederet, quo mu-
nere summa fidelitate, ac prudentia fun-
ctus, in quovis ferme suscepto negotio
prosperam expertus est fortunam. Huic
Emanuel laboris socium adjunxit Trista-
num de Cunha, qui duas, licet exiguas,
Æthiopum Insulas, hodiedum suo nomi-
ne insignitas detexit, quæ in elevatione
Poli vigesimum longitudinis, latitudinis
vero trigesimum septimum gradum ob-
tinent, ac Occidentem versus trecentis
quin-

Sæcul. XVI. quinquaginta leucis a Promontorio bonæ
A.C. 1506. spei distant.

§. CXXV.

Commotio populi Ulyssiponenfis aduersus Judæos.

Marian. lib. 28. num. 84. *Oforius lib. 4.* In Lusitania, cum tota regio gravi pestilentia flagraret, Rex Abrantium, ubi purior erat cœli temperies, secedere compellebatur, fato sane prospero, ibidem enim Regina Filium, cui Ludovici nomen impositum, feliciter enixa est, octavo post partum die sacro fonte ablutum; verum communis lætitiæ complementum interceptit populi tumultus, levi prorsus ex causa Ulyssipone suscitatus; quippe in Ecclesia S. Dominici aservabatur sculpta imago Crucifixi, cujus lateris plagam vitrum obtegebat: cum vero idem vitrum lucis radios reverberans, splendorem emitteret, nonnulli quadam die sacrificio assistentes, rem supra naturæ vires arbitrati, in Templo vociferabantur: *Miraculum! Miraculum!* Hunc errorem dedocere audebat quidam Judæus recens conversus, cumque populi simplicitatem rideret, cunctis persuasum erat, hunc judæum nonnisi fidei contemptu permotum, ejusmodi verba eructasse; quocirca tam impotenti furore conci-

concitabantur, ut una omnes in miserum ^{Sæcul. XVI.}
 irruentes, illum extra Ecclesiam raptatum A.C. 1506.
 crebris fustibus tunderent, ejusque cor-
 pus in media platea igni traderent.
 Plebe jamjam in furorem acta, insaniam
 augebat quidam Monachus e claustris
 suo erumpens, cujus hortatu populus in
 Judæos acrius incendebatur, nilque nisi
 undique tumultantium voces audiebantur,
 ac brevi tota gens ad seditionem
 concitabatur.

§. CXXVI.

Judæorum cædes.

Hujus Monachi oratione, velut classico, ^{Marian. ib.}
 plebs ad cædem convocata fuit, &
 magis, magisque animata in Judæorum
 recens baptizatorum domus toto impe-
 tu irruit: mox erumpebant alii, qui hosce
 infelices trucidarunt, ac promiscua cæde
 viros, foeminas, atque infantes, nec æ-
 tati, nec sexui parcentes jugularunt, de-
 mumque illorum ædes deprædati sunt.
 Duo quoque Monachi Crucem velut ve-
 xillum seditiosis præferebant; hæcque
 laniena solidum triduum tenebat, ac re-
 ferunt Scriptorum nonnulli, plusquam
 duo millia Hæbreorum, potissimam par-
 tem innocentes, hunc in modum pe-
 riisse, quos inter non pauci etiam, qui
 jamjam Christianæ fidei nomen dederant,
 aut

Sæcul. XVI. aut errore, aut ex illorum vindicta occi-
A.C. 1506. si sunt, qui hac occasione freti, inimico-
 rum suorum sanguine crudelitatem sa-
 tiabant. Rex comperto suorum tumultu vehementissime commotus, rem penitius inquiri præcepit, unde duo illi Monachi extremo supplicio multati, ac combusti sunt, eorumque cineres in aerem projecti; ceteri vero, quos gravior culpa reos fecerat, easdem poenas dederunt.

§. CXXVII.

Flandri Cæsarem Belgii Rectorem agnoscere renuentes.

Bonacurs. in Diariis Maximilianus vix comperto Filii sui Archiducis obitu, quantocius in Flandriam contendit, ut Belgii administrationem susciperet, donec Carolus Archidux, nonnisi sex annos natus, ad legitimam ætatem perveniret. Verum Flandri, quibus satis comperta erat Cæsaris indoles, primo sese illi subicere tergiversabantur, tamque vehementer obstitabantur, ne pueri Principis Tutor, ac Belgii Rector esset, ut Pontifex, qui Cæsarem in Italiam venire, ac sese Gallorum motibus adversus Venetos opponere desiderabat, ob Belgici tumultus metum fere omni spe sua excidisset, nisi Genuensium seditio animum ei reddidisset.

§. CXXVIII.

§. CXXVIII.

*Seditio Genuensium in Gallos.*Sæcul. XVI.
A.C. 1506.

Cum enim Ducatus dignitas ad Fregosios, atque Adornios hæreditario jure transmitti cæpisset, hi immensis locupletati divitiis, quas hoc munere functi corraserant, tanta creverunt potentia, ut quamvis nonnisi secundo Nobilium Ordini adscripti essent, primæ tamen Nobilitatis Optimatibus, uti sunt Flisci, Aurizæ, Spinolæ, atque Grimaldi, cedere recusarent. Primo secretæ complurium indignationes audiebantur, demum ad publicam seditionem res excessit; cum enim quidam Auriensis familiæ Nobilis cum alio adversæ partis Juvene globis missilibus luderet, exorta inter eos rixa Auriensis trucidabatur, quam cædem mox communis omnium seditio excipiebat, ac Nobiles tam indigne habiti, ut sese alio recipere compellerentur. Seditiosi jam ad se supremum Reipublicæ imperium esse devolutum rati, illico pro arbitrio novum Magistratum creant octo Viris constantem, quos Plebis Tribunos appellabant, demum etiam contra Regem Franciæ seditionem movebant. Rocabertus Ravesteni Genuensis Præfecti, qui tum in aula versabatur, vices agens, dudum consilii inops, tandem tumultuan-

*Guicc. lib. 7.**San-Ge'as. hist. Lud.**XII.**Foglieta hist.**Genuens. lib. 12.*

Sæcul. XVI. multuantis populi postulatis cedere constituit, firmavitque edictum, quod cives in nupero conventu ad eligendos novos Magistratus convocato considerant; quo facto nuncium ablegabat ad Ravestenum, qui nulla mora cum exigua militum manu Genuam advolavit.

§. CXXIX.

Copiæ Genuam a Galliarum Regi missæ.

*Jo. Auton.
hist. Lud.
XII.*

*Guic. lib. 7.
Raynald.
num. 7.*

Ex adverso rebellium exercitus furentium numero longe superior erat, jamque complures, ignobiliores tamen urbes ad maris oram sitæ occupabantur. Ravestenus, cum seditiosos ob exiguum agminis sui numerum violentia compescere desperaret, eos lenitatis subsidio ad officium revocare nitebatur, hi vero insolentiores facti Ravestenum, quem suorum potentia territum existimabant, copias suas dimittere compellunt, pluresque urbes sibi vendicant, demum crescente audacia ipsam Monæciensem arcem obsidere præsumunt, quapropter Ravestenio aulam repetente, Ludovicus XII. Doctorem Michaelem Ricci Neapolitanum ablegat, qui rebelles, ut in Regis obsequium redirent, inducere conaretur; ast surdis fabulam cecinit. Unde Rex horum pervicacia concitatus, tam

tam copiosum conscripsit exercitum, ut Sæcul. XVI. A.C. 1507.
 ejus potentia ipsi Pontifici, Italiæ Princi-
 pibus, Cæsari, Regique Catholico terro-
 rem incuteret; verebantur enim, ne Lu-
 dovicus grandiora, quam solam Genuen-
 sis tumultus extinctionem moliretur. A-
 deo vero rebelles hoc apparatu minime
 terrebantur, ut eorum petulantia indes
 aucta, etiam Galliæ Regis insignia desi-
 cerent, & Paulum Novium, seu Noum
 Tinctoris filium Ducem crearent, urbis-
 que aditus undique munirent.

§. CXXX.

*Rebelles a Rege Genuam appulso ad
 officium redacti.*

Ergo Ludovicus Ivoni Alegrio nego-
 tium dat, quantocius cum tribus ar-
 matorum millibus Monæcium contende-
 ret; quo vix conspecto rebelles, motis
 subito castris, Genuam reversi sunt. Ipse
 quoque Rex in Italiam venit, ac tertia
 Aprilis die Gratianopoli profectus, unde-
 cima ejusdem Mensis Segusiam ingres-
 sus est, exercitum ducens viginti duo-
 rum peditum millium, ac mille quingen-
 torum Cataphractorum, præter pluri-
 mas Nobilium, ac voluntariæ militiæ
 legiones; adeo, ut facile quinquagin-
 ta bellatorum millia in suo exercitu re-
Hist. Eccles. Tom. XXXI. R. r. cense-

Sæcul. XVI censeret (*). Comitabantur etiam Re-
A.C. 1507. gem triginta omnino Prælati: Obstabat
 tamen Gallorum progressibus arx quæ-
 dam monti imposita, quam Genuenses
 occupaverant, illam ergo, ut Gallis ad
 Castellazzi propugnaculum aditus pate-
 ret, expugnare oportuit, quocirca in cam-
 po, quo Riverola ab urbe San-Petri
 de Arena intersecatur, prælium com-
 mittitur, ubi Galli arce non sine ingenti
 labore superata, victores protinus arma
 Genuensi urbi admoverunt.

Genuenses, appropinquante exercitu,
 in primum Gallorum agmen ex urbe e-
 rumpunt, sed post acerrimum utrinque
 certamen repelluntur, desideratis eorum
 tribus millibus. Hac clade perterriti, de-
 ditionem obtulerunt, at Rex horum De-
 putatos audire recusans, eos ad Cardina-
 lem de Ambasia remisit; hic vero illis
 significavit, aut arbitrio Regis sese com-
 mitterent, aut eorum urbs deprædatio-
 ni subjaceret. Hoc responso concitati
 Genuenses, denuo cum quadraginta ar-
 matorum millibus in Gallos irruunt, at
 identidem cæsi fugatique redierunt. In-
 tererat huic prælio Tristanus de Salazar
 Seno-

(*) An quinquaginta millium exercitus
 Pontifici, Italiæ Principibus, Cæsari, & Hispa-
 niarum Regi terrorem incutere potuerit, ægre
 quis sibi persuadere poterit.

Senonum Archiepiscopus, qui penes Regem, cum incautius, longiusque periculi contemptu abriperetur, toto armorum apparatu succinctus, strenue dimicabat, illisque, qui Præfulem militum more arma gerentem admirabantur, respondebat, Rege vitam suam discrimini exponente, indecens esse, ut subditorum ullus sese eximeret. Ceterum Genuenses ultra resistendo impares, Victorum arbitrio tandem sese subjecerunt, Paulus quoque Novius, Dux eorum recens electus, præcipiti fuga sese subduxit, cum vero profugus Romam navigaret, a Gallorum classe captus est. Porro Rex die vigesima octava Aprilis, omnibus armis instructus, gladium districtum manu gestans, ac chlamyde candida vestitus Genuam ingressus est, quam plurimis Cataphractis stipatus. Occurrunt cives cum ramis olivarum misericordiam implorantes, quibus, cum ab eis Rex in omnibus submissionem postulasset, facta vitæ gratia trecentorum millium aureorum mulctam indixit, ut ex hisce pecuniis nova arx urbem inter, & portum construeretur, jussitque Magistratum, ut archetypa foederum, quæ cum Gallis inierant, aliorumque diplomatum tabulas, quibus avita eorum privilegia describebantur, ad Regis pedes deferrent, eo fine, ut illæ omnino dilacerarentur, quod

Sæcul. XVI. etiam mox effectui datum; easdem vero libertates Rex quantocius Genuensibus restituit, ea tamen lege, ut eas ad arbitrium suum revocare posset. Novius autem, & Demetrius Justinianus capite plexi poenas dederunt; hic, priusquam supplicium subiret, Pontificem rebellionis conscium fuisse insimulabat. Præterea sancitum I. ut copiarum, qui de more intra urbem stationes agerent, numerus augetur; II. Gubernator cunctis Senatorum conventibus interesset; III. Ad Gallorum iussa tres triremes in portu instructæ a Genuensibus alerentur; ac denique IV. arcis præsidia auferentur. Rex quoque Ravestenio Præfectura exuto, subrogavit Rudolphum Lanoium Ambiani Prætozem, integre probitatis Virum.

§. CXXXI.

Cæsar hortatu Pape contra Franciam concitatus.

Raynald.
ad ann. 1507.
n. 7. & 8.

Suspectus erat summo Pontifici Galliarum Regis adventus; quippe ad tam exigui moliminis negotium, quale erat Genuensium defectio, tanti Regis præsentiam haud fore necessariam arbitratur, cumque animum ejus recens subiret memoria haud vani timoris, atque gravissimæ sollicitudinis, quam Carolus VIII. Alexan-

Alexandro VI. incusserat, se ad eandem Sæcul. XVI.
 paresque incitas a Ludovico quoque re- A.C. 1507.
 digi verebatur, unde malo obviaturus, in
 politicæ prudentiæ artificio auxilium
 quæsit; valuitque successus, nam hac
 via metu liberatus evasit; Nihil enim in
 hac rerum vicissitudine opportunius cen-
 sebat, quam ut Cæsari timorem incute-
 ret, exponens, quod Ludovicus XII. Ge-
 nuensis expeditionis obtentu usus non-
 nisi Italiæ pacem turbare intentus esset,
 ac rursus Cardinalis sui Ambasiani mi-
 nisterio Pontificum electiones Gallorum
 arbitrio, imperioque subicere moliretur,
 totusque in eo esset, ut præfatum Cardi-
 nalem in Cathedram S. Petri intruderet,
 ab ejusque manu postmodum Imperia-
 lem coronam acciperet, ac demum Ma-
 ximiliano Cæsari necnon S. R. I. Electo-
 ribus, postquam illis, quæcunque in Ita-
 lia possiderent, eripuisset, turpiter illu-
 deret.

§. CXXXII.

*Comitia Constantiæ a Cæsare con-
 vocata adversus Ludovicum
 Regem.*

Imperator huic consilio nimium faciles Guic. l. 5.
 accommodabat aures; augebant in-
 super Veneti Papæ querelas, graviter &
 ipsi apud Imperatorem contra Gallos
 con-

R r 3

con-

Sæcul. XVI. conquesti, ac pluribus extollentes, quam
 A.C. 1507. merito suspecta haberent Regis consilia,
 atque Italiæ status, ac præprimis Rem-
 publicam suam infestis armis ab eo in-
 vadi timerent: Itaque Maximilianus si-
 ne moræ dispendio ad omnes Sacri Ro-
 mani Imperii Principes, ac foederata Ger-
 manicæ emporia (*) suos Oratores de-
 cernit, jubetque, Constantiam, ubi Co-
 mitia convocasset, venirent: Parent om-
 nes, ac Cæsar prælectis literis, quas a
 Pontifice acceperat, Principibus exponit,
 quam gravis momenti res esset, ut ad-
 versus Galliarum Regem pristinum Ger-
 manici imperii splendorem in Italia re-
 staurare, ac sese Gallorum ambitioni op-
 ponere satagerent; Principes hac Cæ-
 saris oratione permoti omnes suas vires
 jungere, adeo communi suffragio decer-
 nebant, ut Germanorum potentia tam
 concorditer unita cunctis totius Orbis
 Monarchis leges præscribenda putaretur,
 ac denique Italia ad legitimum veterum
 suorum Principum jugum tandem redi-
 tura esset. Nunquam adeo promptum,
 quo copias conscriberent, conspiciebatur
 Principum Germanorum studium, nun-
 quam ardentior Gallos debellandi avi-
 ditas; nam solo Cæsareo sermone, quem
 Constantiæ habuit, infra exiguum omni-
 no

*Trithem. in
 chro Spauh.
 hoc anno.
 Basel. in ad-
 dit. ad Nau-
 cler. Bizard.
 l. 18.*

(*) Vulgo dicuntur Hansee-Städte.

no temporis spatium numerosus compa- Sæcul. XVI.
ruit exercitus, jamque nihil propius e- A.C. 1507.
rat, quam ut per Tirolim in Italiam pe-
netraret, cum ecce! Ludovicum Gallia-
rum Regem copias suas missas fecisse
nunciatur.

§. CXXXIII.

*Savonense colloquium Galliarum
Regis cum Rege Catholico.*

Interea Ferdinandus Rex, qui tum Nea- Guic. l. 7.
poli agebat, misso legato victoriam re- Joann. Au-
giis armis, auspiciisque relatam Ludovi- ton. hist. Lud.
co gratulatus est, eidem significans, quod XII.
si esset Regi gratum, eum unacum conju-
ge sua invisere vellet, proin locum, quo
ipsum exciperet, designaret. Nominabat
Ludovicus Savonam, ubi etiam ambo
Reges prolixam instituebant consultatio-
nem, ad quam Palavicinum quoque Pon-
tificis (*) Legatum advocarent, simulque
Venetis bellum inferre decernerent. A-
derat etiam Cardinalis de Ambasia.

§. CXXXIV.

(*) *Mirum sane, jam Pontificem cum Gal-
liarum Rege societatem iniisse, contra quem ta-
men ab ipsomet Papa Cæsarem concitatum fuis-
se, Continuator §. CXXXI. meminit.*

R r 4

Sæcul. XVI.

A. 1507.

§. CXXXIV.

Hujus colloquii argumenta.

Frequens erat inter ambos Reges colloquium, quo soluto Galliarum Rex Lugdunum, Ferdinandus vero in Hispaniam reversi sunt. Cum vero populo nil solemnus sit, quam consilia, Regumque voluntates conjectura assequi, temere in vulgus spargebatur, Ferdinandum impotentiori ira adversus Papam accensum ad colloquium venisse, eo quod hic Neapolitani regni investituram ei denegasset, proinde ab utroque Rege capta fuisse consilia, ut summum Pontificem minus Canonice electum exauctorari procurarent, quin etiam Ferdinandus afferuisse ferebatur, quod unice, ut idem in pleno Concilio fiat, a solo Franciæ Regis nutu dependeret, atque omnino Oecumenicam Synodum celebrari oporteret, imo idem dicebatur dedisse promissum, vi cujus non modo omnes Hispaniæ, ac utriusque Siciliæ Prælatos ad Synodum mittere, sed etiam tantum efficere spondebat, ut iidem Præsules pro futura Pontificis electione in Cardinalem de Ambasia suis suffragiis conspirarent.

§. CXXXV.

§. CXXXV.

Sæcul. XVI.
A. C. 1507.*Belgii regimen a Maximiliano concupitum.*

Cum Castellæ administrationem, Ferdinando ad eam nominato, Maximilianus incassum speraret, saltem Belgii regimen continuo ambiebat, ratus, eam sibi nequaquam denegari posse, quamdiu Carolus ejus Nepos in Tutoris potestate esset. Verum oblectabantur Flandri, utque Cæsarem excluderent, prætextum saltem vero similem sollicite inquirebant, tandemque invenerunt, caussati, Philippum Archiducem testamento cavisse, ut Franciæ Rex ejusdem Filii Curator nominaretur; huic rationi nonnulli innitebantur Flandri, contendentes, Ludovici Regis esse, ut rei hujus controversæ judicem ageret, cum Carolus Lucemburgicus ob Flandriæ, Arthesiæ, ac Carolesii comitatus clientelari obsequio Franciæ obstrictus esset, alii tamen palam edicebant, quod in Philippi testamento nequidem unica Syllaba de Francorum Rege mentio fuerit facta.

*Voiez les
memoires du
Bellay & de
Brantome
Varillas
edueat. des
Princes.*

*Daniel hist.
Franc. tom. 5
p. 264.*

§. CXXXVI.

Ludovicus Caroli Lucemburgici tutelam ad Flandrorum preces sibi arrogat.

Ut hæc sunt, Ludovicus tamen Caroli

R r 5

Prin-

Sæcul. XVI. Principis tutelam sibi arrogabat, atque
A.C. 1507. Archiduci ex status Ordinum consensu
 Guilielmum de Croy Cerviæ Toparcham
 Gubernatorem præfecit, quamvis incon-
 sultam ejusmodi agendi rationem Regii
 Senatores, incassum licet, vehementer ta-
 men Regi diffuaderent.

§. CXXXVII.

Maximilianus Belgiæ Gubernator.

Scriptorum nonnulli referunt, quod in-
 ter Caroli Aufriaci Moderatores nul-
 latenus a Ludovico Galliarum Rege no-
 minatus fuerit primo loco Guilielmus de
 Croy, sed potius Carolus de Croy Chi-
 macensis Princeps præfati Guilielmi Pa-
 truelis; huic vero priorem Anno Domi-
 ni millesimo quingentesimo nono in hac
 dignitate subrogatum fuisse narrant, post-
 quam Carolus hoc munus abdicaverat eo
 tempore quo Margarita Aufriaca Belgio
 præerat nomine Maximiliani, cui Flandri
 administrationem deferebant, aut ob nati-
 vam hujus gentis levitatem, (*) aut pro-
 pter indignationem, quam adversus Ludo-
 vicum Galliarum Regem conceperant.

§. CXXXVIII.

(*) Quo fundamento Continuator levitatis
 vitium in Belgas transferre valeat, haud per-
 spicimus, cum Scriptores nationum indolem
 notantes illud non Belgis, sed aliis attribuant.

§. CXXXVIII.

Sæcul. XVI.
A.C. 1507.*Transitus Cæsari in Italiam eunti a
Venetis denegatus.*

Ceterum Galliarum Rege brevi in Franciam redeunte disparuit timor, quem Papa Cæsari, ut eum in Gallos concitaret, incusserat, Maximilianus tamen cum jamjam cum exercitu octo millium equitum, peditumque viginti duorum millium iter agere cæpisset, illud profecutus est, atque mutata prima itineris ratione divulgavit, non bellandi animo se Italiam ingredi, sed id haud alio ex consilio fieri, quam ut pro more suorum Prædecessorum, atque Imperatorum coronam de Pontificis manu acciperet. Veneti, cum rem penitiori oculo inspicerent, specioso hoc obtentu sese decipi haud patiebantur. Hinc postquam Cæsar, missis ad eos Legatis, transeundi copiam postulasset, simulque eos ad armorum societatem contra Gallos invitasset, illi transitum omnino denegantes, responderunt, ad accipiendam coronam, quam a Pontifice lubenter concedi compertum esset, non requiri comitatum plusquam triginta armatorum millibus validum. Aliunde Franciæ Legati Venetos ad hanc repulsam incitabant; hi enim illis suggerebant, inde Italiæ pacem dependere, si vero Cæsari

sari

Sæcul. XVI. sari transitum concederent, abs dubio ipsum Ludovicum cum toto exercitus sui robore in Italiam petiturum, ut sese Maximiliano opponeret. Porro Cæsar Venetorum pertinacia tantopere offendebatur, ut eodem temporis puncto injuriam ulcisci decerneret.

§. CXXXIX.

Imperatoris bellum in Italia adversus Gallos & Venetos.

Ceterum Cæsaris arma non adeo crebris inclarescebant victoriis (*) Helve-

(*) Abs dubia Lector a partium studio alienus ad nauseam usque persæpe observavit, Continuatores, quoties de augustissima Domo Austriaca mentio occurrit, semper intentum esse, ut pia Cæsaris consilia fallacibus artibus adscriberet, pecuniarum inopiam exprobraret, bellicos eorum conatus velut bruta fulmina exploderet, præclare ab eis gesta vel silentio premeret, vel neglectim nec sine contemptu referret, ac sexcentis aliis modis Cæsareæ Majestatis auctoritatem diminueret, Et hæc quidem nullo alio legato Auctore, quin imo penitus contraria recensentibus rerum Austriacarum Scriptoribus, quod, si instituti mei ratio permitteret, nullo negotio comprobare possem. Sufficit autem hæc in rem ipsius Continuatores antilogias animadvertere.

Helvetii enim copias suas in aciem non educebant, deficiente pecunia eis nume-
 randa, Italiae quoque Principes promissa
 auri subsidia vario sub praetextu suppe-
 ditare negligebant; nec minus Pontifex
 illa centum aureorum millia pro belli
 Turcici expensis collecta in alios usus
 converti prohibuit; denique Imperator
 nonnisi a Senensibus sex Ducatorum mil-
 lia acceperat; Nihilominus nonnullis
 suorum copiis in Burgundiam & Sabau-
 diam missis, ipse Italiam versus progre-
 ditur. Ludovicus etiam exercitum, quem
 in Mediolanensi Ducatu tenebat, augere
 intentus erat, dum interea illius Guber-
 nator Aronam ad lacum Majorem occu-
 paverat. Alvirianus quoque Veneti exerci-
 tus Dux Forum Julium accessit, Petilia-
 no Tridentinorum confinium aditus ob-
 sidente. Denique Trivultius, ut Venetis
 praesto esset, cum quingentis cataphra-
 ctis, peditumque quinque millibus Ve-
 ronam usque processit. Rebus ita dis-
 positis Imperator Genuae haerere consti-
 tuit,

Saecul. XVI.
 A.C. 1507.

*vertere, ubi non raro uno quasi halitu mox
 Caesaris imbecillitatem, mox vero hostes simul
 ab eodem Imperatore ingenti clade prostratos
 enarrat, haud ultra memor, quod hostiles copias
 adeo numerosis jactitaverit, ut facile toti Eu-
 ropae terrorem incuterent. Vide §. CXXIX.
 & CXXII.*

Secul. XVI.
A. C. 1507.

tuit, hanc urbem, in qua cum quibusdam clandestina habebat commercia, astu capturus; verum spe sua frustratus, omnes in eo curas intendit, ut toto impetu in Venetorum ditones irrueret.

§. CXL.

Ferdinandus Rex Catholicus Castellæ.

Marian. hist.
Hisp. lib. 29.

Tandem Rex Catholicus secundis ventis felicissime navigans, Valentiaë exscendit, quam urbem pertransiens, omni sollicitudine Castellam contendit, cunctis regni Proceribus obviam effusis, eumque velut Victorem Burgos comitantibus, ubi Regni administrationem denuo suscepit, tam insolito omnium Ordinum applausu, ut facile oblivisceretur injuriæ, qua ante biennium regimen dimittere compellebatur; unde non modo neminem ultione persequebatur, sed etiam ipse omnibus illis, qui odio magis aperto in eum flagrabant, bona, dignitatesque, quibus antea fruebantur, fartas servabat. Hac sua moderatione merito sibi amorem, omniumque æstimationem conciliabat. Soli autem Manuëli potius fuit pinquia, quæ in Castella habuit, bona relinquere, atque in Belgium ad Carolum Archiducem secedere, quam a Ferdinando, cui infensus erat, dependere.

§. CXLI.

§. CXLI.

Sæcul. XVI.
A. C. 1507.

*Archiepiscopus Toletanus cum tribus
aliis Purpura donatus.*

Præ reliquis plurimum apud Ferdinandum gratia, ac auctoritate valebat Archiepiscopus Toletanus, cum ergo jam tunc, ut hodieum supremum votorum fastigium in iis, qui Ecclesiasticis dignitatibus fulgent, (*) esset sacra Purpura, Sanctitas sua Regis Catholici precibus deferens, Archiepiscopum, datis ad eum literis Apostolicis paterno affectu plenis, Cardinalium Collegio adscripsit, qui Galerum rubrum a Nuncii manibus recepit, cum autem de titulo cujusdam Ecclesiæ provisos non esset, Cardinalis Hispaniæ vulgo nominabatur; in Cardinalium tamen albo titulum S. Sabinæ adoptasse legitur.

Alvarez Gomez in vita Ximen. Paris. de Grass. p. 346. Raynald. hoc ann. 24.

Præterea idem Pontifex die decima septima Maji alios tres Cardinales natione Gallos creavit, & primum quidem Joannem Trimollium Auxitanum Episcopum

Yoa. Anton. hist. Lud. XII. Frizon. purp. Gall.

(*) Captiosa hac dicendi formula tacite insinuari videtur, Ximenium Cardinalitiam dignitatem ambiisse, quæ nota huic Archipræsuli a nullo omnino scriptore inuritur; imo quam alienus fuerit ab honorum cupiditate, satis testabatur repugnantia, qua sponte obtrusam Archiepiscopalem dignitatem recusabat. Vide lib. CXVIII. §. 83.

Sæcul. XVI. copum tit. S. Martini in Montibus, qui
A.C. 1507. hac tamen dignitate haud diu fruebatur,
 cum eodem, quo purpura ornatus fuerat,
 mense animam exhalaret, in æde Colle-
 giata S. Mariæ Castri Thoracensis sepul-
 tus. Alter erat Renuus de Bria primo
 Bajocensis, demum Lemovicensis Episco-
 pus, Cardinalis tit. S. Luciae, qui Patru-
 lis sui Cardinalis de Ambasia auctoritate
 suffultus, opulentissimis primo Beneficiis
 insignitus est, nimirum Archidiaconatu
Bourg-Dieu Majore Bituricensi, Abbatia Burgo-Dei,
 B. Mariæ de Pratea &c. Lectorensi, Le-
 movicensi, ac Bajocensi Episcopatibus,
 denique etiam Cardinalium dignitate.
 Tertius tandem erat Ludovicus de Am-
 basia, Albiensis Episcopus, Cardinalis, tit.
 SS. Marcellini & Petri, Cardinalis Geor-
 gi de Ambasia Nepos.

§. CXLII.

Nonnullorum Cardinalium obitus.

Surita lib. 6. Cum Sacrum Cardinalium Collegium
 plures fatis ereptos luxisset, Papa
 numerum reparaturus præfatos creabat.
Platina in Calixt. III. Mortui autem erant. I. Joannes de Ca-
 stro Hispanus Episcopus Agrigentinus in
 Sicilia, ac Slewizensis Episcopatus in Da-
 nia Administrator, purpura decoratus ab
 Alexandro VI. Anno Salutis millesimo
 quadringentesimo nonagesimo sexto.
 II. Ludo-

II. Ludovicus Joannes Mila seu Milanus Sæcul. XVI. A.C. 1507.
 Statabi in Hispania in Valentiaë regno
 natus, Ilerdensis Episcopus, & Calisti III.
 Papæ Nepos, a quo Anno Domini mil-
 lesimo quadringentesimo quinquagesimo
 quinto purpura insignitus est. III. Hie-
 ronymus Basso de Ruvere, Sixti IV. Ne-
 pos, primo Recinetensis, postea Prænesti-
 nus, ejusdemque tituli Episcopus; IV.
 Joannes Vera Hispanus, Salernitanus
 Archiepiscopus.

§. CXLIII.

Cardinalis Pallavicini extrema.

Denique vivis ereptus est Antonius Pal- Gnec. l. 2.
 lavicinus patria Genuensis, Episco- Paul. Jov. in elog. l. 2.
 pus Auriensis. Is Anno Incarnationis Foglieta in
 Dominicæ millesimo quadringentesimo pro elog. Ligur.
 quadragesimo primo Genuæ natus, pro Garimb. l. 2.
 more Nobilium Genuensium Mercaturæ § 4.
 operam dare jubebatur, suosque fratres
 commercii studio in Hispaniam secutus,
 ibidem moram traxit; verum hoc vitæ
 genus pertæsus, Anno Salvatoris mille-
 simo quadringentesimo septuagesimo Ro-
 mam venit, ubi, cum Joanni Baptistæ Ci-
 bo Cardinali innotuisset, in ejus familiam
 adscitus, literis Apostolicis tum expe-
 diendis admotus fuit, quo in munere, dum
 Sixti IV. Pontificis expectationi sua pro-
 bitate atque prudentia fecisset satis, in
Hist. Eccles. Tom. XXXI. S s præ-

Sæcul. XVI. præmium laborum Vintimiliensis Ecclesie creatus est Præsul; cum vero suam adire Ecclesiam animo constituisset, Anno Domini quadringentesimo octogesimo quarto supra millesimum Sixtus IV. vita excessit: interveniente igitur Papæ obitu, ut discessum usque ad electionem prorogaret, a Cardinale Cibo rogatus est, quem, ut eo certius apud se Papa eligendus retineret, Prælati ad Conclavis custodiam nominatis adlegere curavit. Ubi vero in hisce comitiis, quæ haud diu durabant, Patrum suffragiis Cardinalis Cibo ad Pontificale solium evehctus, ac Innocentius VIII. Papa dictus esset, Palavicinus ingenti lætitia afficiebatur, a neo-electo Pontifice Romæ detentus, necnon supplicibus libellis præfectus, quo in munere ita industrium, circumspetum, & integrum sese exhibuit, ut ab eodem Pontifice Anno reparatæ salutis millesimo quadringentesimo octogesimo nono Cardinalium Collegio adscribi promeritus esset. Demum Alexander VI. Innocentii Successor Palavicinum summo in honore habuit, præcipue ejusdem constantiam, ac animi fortitudinem admiratus; quorum meritorum suffragio pluribus subin Episcopatibus auctus est; cumque Carolus VIII. Galliarum Rex Anno Christi millesimo quadringentesimo nonagesimo quarto sub finem Decembris Romanam

Romam rediret, atque Alexander Papa Regis conspectum fugiens, ad arcem S. Angeli concederet, Pallavicino negotium dedit, ut Regem Christianissimum adiret, pacemque cum eo conciliaret, quod & prospero sane eventu præstitit. At cum idem Monarcha Neapoli anno sequenti Mense Majo abiret, Papa Regem, quem graviter offenderat, præstolari veritus, Roma Urbevetum secessit, & rursus Pallavicino Cardinali in mandatis dedit, ut concordie pacta cum Rege sanciret, qua legatione adeo feliciter functus est, ut Rex generoso animo omnes, quas Ecclesie eripuerat, urbes restitueret. Alexandro autem mortalitatem exuente Anno nativitatis Domine millefimo quingentesimo tertio, parum abfuit, quin Pallavicinus Successor nominaretur, plurium suffragiis in eum conspirantibus, aliis vero, quos clam sibi infensos habebat, inde dolorem usque adeo testantibus, ut ejus famam aspero carmine lividis salibus reperfo perstringere conarentur, ut testatur Garimburtus, hæc tamen singula convitia Pallavicini fautores egregie confutabant (*) electo postea

(*) Jam dudum observarunt Scriptores idonei, satyricum hoc carmen non in Antonium Patrum, sed contra Joannem Baptistam Pallavicinum

Sæcul. XVI.
A C. 1507.

postea Pio III, Julius II. qui eidem paulo post successit, Pallavicinum Cardinalem gravissimis adhibuit negotiis, ac Savonensi Legationi præfecit, ubi Ludovicus XII. & Ferdinandus habito colloquio foedus contra Venetos ad Pontificis vota sanxerunt; equidem Cardinalis Legatus redire festinabat, ut Legationis suæ successum ipse summo Pontifici referret, verum sub finem Mensis Augusti Anno Domini millesimo quingentesimo septimo Romam perveniens, morbo correptus, die decima Septembris animam exalavit, annos natus sexaginta sex.

§. CXLIV.

S. Francisci de Paula obitus.

Baillet. vit.
Sand. tom. I
in fol. ad 2.
April.

Eodem hoc anno luxit Ecclesia extinctum beatum Franciscum de Paula
Fra-

cinum ejus Nepotem scriptum fuisse; sic enim sonat:

Genua cui Patrem, genitricem Græcia, par-

tum
Pontus & unda dedit, hic bonus esse
potest?

Vani sunt Ligures, mendax est Græcia, Pontus
Nulla fides. Hæ tu singula solus habes
certum autem est Antonii Matrem non Græcam
mulierem, sed Peregrinam Salvagiam, nobilem
Genuensem fuisse.

Fratrum Minimorum Institutorem, qui die Sæcul. XVI.
 secunda Aprilis in conventu suo Pleffiaci A. C. 1507.
 prope Turones in Galliis anno ætatis suæ Raynald. ad
 nonagesimo primo e vita migravit. Hic ann. 1507.
 cum mortis suæ præsciis esset, omnem n. 25.
 Medicorum opem ad depellendum mor- Spond. ib.
 bum adhibere recusabat; hanc enim si- n. 7.
 bi inutilem, ac æternæ mentis consilio Bolland.
 adversam esse persuasum habebat. Igi- Papebr. 1.
 tur, postquam Fratres suos ad mutuam Commin. l. 6.
 charitatem, regulæ observantiam, & præ- c. 7.
 cipue perpetuam abstinentiam etiam a
 cibis, quibus alias in jejunio verno vesci
 licet, adhortatus esset, ad Ecclesiam
 deferri voluit, ubi nudis pedibus, funem
 e collo gestans, sacram Synaxin recepit,
 ac altera die, quæ erat Parasceves, ani-
 mam Deo reddidit. Ceterum Philippus
 Comminæus hallucinatus est, dum san-
 ctum hunc Virum tunc non nisi quadra-
 ginta tres annos natum refert, quando
 Anno Domini millesimo quadringentesi-
 mo octogesimo secundo regnante Ludo-
 vico XI. in Gallias pervenit, unde inferre
 oporteret illum nonnisi sexagesimo octavo
 ætatis suæ anno obiisse, cum tamen P.
 Giry ejusdem Ordinis Alumnus in qua-
 dam dissertatione hujus opinionis erro-
 rem adeo manifeste detexerit, ut Conti-
 nuatores Bollandi, qui primo huic sen-
 tentiæ adhæserunt, postea hujus Mo-
 nachi judicio suffragarentur.

S s 3 Cum

*Giry dissert.
Chronol.*

Sæcul. XVI.

A.C. 1507.

Cum vero ejus vita Sanctitatis eminentia, ac miraculorum gloria, quæ Deus ad illius sepulcrum operatus est, ubique percelebris esset, hinc Galli, atque Itali hunc Virum Sanctorum fastis adscribi efflagitarunt, jamque sub auspiciis Julii II. & Ludovici XII. de virtutibus ejus, atque miraculis testes rite interrogari, ac publicæ tabulæ confici cæperant; nihilominus nonnisi Anno Christi millesimo quingentesimo decimo nono sub Pontificatu Leonis X. in Sanctorum numerum adlectus est. Ejus Reliquias in Ecclesia Pleffiacensi usque ad annum millesimum quingentesimum sexagesimum secundum pretiosissime conservatas, Calvinistæ ea qua illorum odium erga Catholicam fidem luculenter proderetur, impietate combusserunt, quippe Sancti Francisci corpus ex sepulcro, ubi adhuc integrum asservabatur, extractum, in habitu suo, quo erat vestitum, ad quoddam cubile raptarunt, ibique igne ex concussis cujusdam imaginis Christi in Cruce pendentis lignis constructo concremarunt. Ceterum Fratres Minimi esse hujus Sancti potissimam partem e flammis erepta fuisse contendunt.

